

**VISITA PASTORALE ALLA CITTÀ
DI VERONA**

DI GIOVANNI BRAGADINO

Vescovo di Verona

PRIMA VISITATIO 1735-1737 Liber primus

REGISTRO LVII



1735 – 1736 – 1737

PRIMA VISITATIO ECCLESiarUM CIVITATIS VERONAE
ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI
IOANNIS BRAGADENI EPISCOPI VERONENSIS
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PAPAE PRAELATI DOMESTICI
ET ASSISTENTIS

LIBER PRIMUS

LVII
(Bernardo Ronchi Cancellario)

Index parochialium

- E** – Sanctae Euphemiae, carta 1
- L** – Sancti Laurentii, c. 14^v – Sanctae Luciae Extra, c. 26
- M** – Sancti Michaelis ad Portas, c.7
- O** – Omnium Sanctorum, c. 31^v
- S** – Sancti Silvestri, c. 71
- Z** – Sancti Zenonis in Oratorio, c. 48

Index Oratoriorum

- A** – Sancti Antonii Abbatis sub Sancti Silvestri, c. 78
- B** – Beatae Virginis Mariae Gratiarum sub Sancti Silvestri, c. 90
- C** – Sanctae Cattarinae Martiris sub Omnium Sanctorum, c. 34
- F** – Sancti Francisci sub Sanctae Luciae Extra, c. 29
- H** – Sanctae Helisabeth Tertiariarum Sancti Francisci sub Sancti Zenonis in Oratorio, c. 55
- L** – Sanctae Luciae sub Sanctae Luciae Extra, c. 29^v
- M** – Sancti Martini in Castro Veteri sub Sancti Laurentii, c. 17^v – Sanctae Mariae de Columbinis sub Sancti Zenonis in Oratorio, c. 54
- N** – Sancti Nicolai de Tolentino sub Sanctae Euphemiae, c. 4^v – Sanctissimi Nominis Mariae sub Sanctae Luciae Extra, c. 30
- Z** – Sancti Zenonis sub Sancti Zenonis in Oratorio, c. 51^v

Index Monasteriorum

- B** – Sancti Bartholomaei a Levata, cc. 37. 44
- C** – Sanctae Catherinae Martiris, c. 86^v
- I** – Sancti Ioannis Evangelistae a Beveraria, c. 57 – Sancti Ioseph, c. 64
- L** – Sanctae Luciae, cc. 41. 46^v
- S** – Sancti Silvestri, c. 80

[1] In nomine Domini nostri Iesu Christi et beatæ Mariæ Virginis. In Christi nomine. Anno ab ipsius Nativitate millesimo septingentesimo trigesimo quinto indictione XIII, die vero dominica prima Epiphaniæ infra octavam 9 mensis ianuarii, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divina providentia papæ XII anno V.

Illustrissimus et reverendissimus in Christo pater et dominus dominus Ioannes Bragadenus, Dei et sanctæ sedis apostolicæ gratia episcopus veronensis et comes, sanctissimi domini nostri domini Clementis, divina providentia papæ XII praelatus domesticus et assistens in iis omnibus quæ ad suum pastorale munus pertinent ac maiorem Dei gloriam animarumque bonum regimen ac salutem respiciunt solícite invigilans sui que amoris sensus in dilectum sibi creditum gregem, quem paterna charitate christianoque zelo complectitur, ostendere volens, pastorem suam visitationem tum in civitate tum in dioecesi qua posset gregem suum et oves uti bonus pastor cognoscere et sua consolari præsentia meditatus est. Quam hac die in sibi dilectissima civitate Veronæ, singulis subinde dominicis prout plurima eius pastoralia negotia patientur prosequitur incoari decrevit.

[A margine: SANTA EUFEMIA] Primo itaque loco ecclesiam Sanctæ Euphemiæ reverendorum patrum fratrum Eremitarum sancti Augustini necnon parochialem visitandam statuit. Quapropter, præmisso ac publicato edicto admonitisque de huiusmodi visitatione admonendis [1^v] omnibusque opportune dispositis, præfatus illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus episcopus, iam præeunte admodum reverendo domino Iosepho Mezzanini, archipresbytero Sancti Ioannis ad Forum et caeremoniarum magistro, secum in sua rheda assumtis illustrissimo domino Ioanne Petro comite Porta iuris utriusque doctore, archidiacono coadiutore cathedralis Veronæ et in episcopatu in spiritualibus et temporalibus provicario suo generali, admodum reverendo domino Iosepho Volpe cancellario secretario ac me Bernardo Ronchi cancellario in tribus vero aliis sequentibus rhedis, altero ex dominis notariis suæ episcopalis curiæ suisque familiaribus comitatus, hodierna statuta die hora 17 circiter e suo palatio discedens, ad ecclesiam prædictam Sanctæ Euphemiæ iter arripuit; quo perventus, ad initium plateæ ante ianuam maiorem dictæ ecclesiæ martiali strepitu salutatus et sub baldachino honorifice excipitur. Quo in loco super tapete et pulvino ibi strato genuflectens, crucem sibi a reverendo patre fratre magistro Thoma Maria Sallini curato pluviali albo induto oblatam, osculatur; deinde sub eodem baldachino ab admodum reverendo patre fratre Nicolao Steffanelli priore et quinque aliis gravioribus patribus gestato, ad ecclesiam progreditur, decantante interim clero antiphonam *Sacerdos et Pontifex* et cetera, in ianua ecclesiæ stans super tapete item strato, aspersione ab reverendo patre curato recepto, populum aspersit et, imposito incensu in thuribulum, triplicem ab ipso patre curato recepit thurificationem. Ingressa [2] vero solemniter ecclesia, sonantibus organis inter instrumentorum musicorum concentus, ad altare maius procedit, ante quod in faldistorio genuflexus oravit et interim reverendus pater curatus, pluviali indutus, ad altare maius in cornu epistolæ versuculos, responsoria et orationem solitam persolvit, quæ dum cantatur, episcopus altare maius ascendit et osculatus est ac in curnu epistolæ titularis orationem dixit; in medio autem altaris ad populum reversus, eundem benedixit et indulgentiam omnibus præsentibus impartitus est. Deinde tronum in cornu evangelii sibi decenter paratum ascendit, ubi admodum reverendus dominus Antonius Costanzi, archipresbyter Omnium Sanctorum et Sanctes Rugenti, archipresbyter Sancti Salvatoris Veteris induti dalmaticis eidem inservierunt et, apparatus violaceis assumtis, preces pro absolutione defunctorum de more fudit. Præcedente inde cruce et clero, progressus est ad claustrum prope ecclesiam undequaque sepulturis repletum ibique ut ante preces absolvit, ipsum circumeundo et ad ecclesiam per ianuam maiorem reversus est. His expletis, paramenta violacea deposuit et, sumtis paramentis albi coloris, ante altare maius sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum, [2^v] in pixide ex tabernaculo in mediam mensam per reverendum patrem curatum extracta servatum adoravit, thurificavit ac diligenter visitavit, quod invenit honorifice tentum, in pixide argentea intus inaurata, cooperculo cruce munito tectam et canopeo vestita, tute autem in tabernaculo marmoreo (prout ex marmore totum compactum est altare) corporali strato ac panno serico albo decenti circumornato sub duobus ostiis ferreis anteriori in parte altero intus servato et extra sacris imaginibus picto, sera et clavi argentea munito, altero versus chorum item cum sera et clavi custoditum. Et factis debitis interrogationibus, reverendus pater curatus Sacramentum renovari opportune asserit omnia haberique apprestamento pro eo deferendo honorifice ad infirmos et dari prius ad convocandum populum consueta signa publicarique indulgentias associantibus concessas nec non haberi, pro eodem Sacramento hebdomada maiori custodiendo, omnia necessaria extra altare maius; paschali tempore communicatis distribui schedas et subinde colligi; in totum animas sub hac cura degentes esse 493 circiter, quarum unicam tantum in Paschate inconfessam existere, esse 366 circiter a communionem, quæ vero confessa fuit subinde in quodam modo quo [3] laborabat et modo ab hac parochia abest. Lampadem semper accensam extare ante Sacramentum noctu diuque et illam

manutenendi onus esse monasterii, prout etiam de ceris altare maius. Qua facta visitatione, adoratione et thurificatione repetita, Sacramento populum benedixit. Postea, reposito per reverendum patrem curatum Sacramento in tabernaculo et praemissa in faldistorio praeparatione sumtisque de medio altaris sacerdotalibus paramentis, illustrissimus ac reverendissimus praesul sacrosanctum missae sacrificium celebravit. Inter cuius missae solemnium organi et musicorum instrumentorum tubarumque concentum, nolarum ac tormentorum bellicorum per explosionem honor praestatus fuit. Missa absoluta, albo indutus pluviali iisdem archipresbyteris assistentibus ac intortitiis associatus, pastoralis amore ac paterna charitate 400 circiter utriusque sexus christifidelibus propriis manibus angelorum Panem erogavit. Omnipotenti inde Deo optimo maximo in suo faldistorio genuflexus gratiarum actioni pie incubuit. Nondum defatigatus et adhuc interveniente tempore, quamplures utriusque sexus christifideles, iisdem inservientibus archipresbyteris, Confirmationis sacramentum administravit [3^v] eosque in fronte unguendo in Christi milites corroboravit. Tandem visitavit olea sancta, in arcua ad hoc decenter a cornu evangelii extracta et suo panno violaceo circumvestita et sub ostiolo ferreo cum sera et clavi intus vascula argentea literis opportunis ad discernenda olea munita, in urna seu capsula lignea reposita honorifice tenta et tute custodita invenit. Visitavit fontem baptismalem, in calce ecclesiae de episcopali licentia die 26 februarii 1601 concessa erectum, quod rastris ferreis septum ciborio, canopaeo et imagine sancti Ioannis Baptistae Christum baptizantis suoque supposito sacrario ceterisque omnibus necessariis munitum, sub sera et clavi tute decenterque custoditum invenit. Demum visitavit confessionalia, in ecclesia hac illac decenti forma extracta illaque invenit cratibus, devotis imaginibus ac pagella casuum reservatorum, antecessorum tamen antistitum munita. Hora iam nimis properata, ad monasterium perexit et in aedes admodum reverendi patris prioris prandium sumturus, sic requisitus, se recepit, quod inter alternatos musicorum instrumentorum concentus tubarumque clangores benemerito praesuli suisque familiaribus ac inservientibus largiter praestitum fuit. [4] A prandio, iterum in ecclesiam descendit, Confirmationis sacramentum administraturus. Itaque pluviali indutus, iisdem archipresbyteris assistentibus, multum utriusque sexus affluente populum, secundum totam ecclesiam dispositum, sacro Chrismate in fronte linivit, tubarum clangoribus in signum laetitiae saepe saepius praestitis. Interim illustrissimus dominus provicarius episcopalis librorum parochialium visitationi incubuit et baptizatorum mortuorumque libros diligenter inspexit atque examinavit, quos bene tentos ac compositos invenit. Verum, cum ex lectione partitarum baptizatorum reperuerit multas partitas baptizatorum infantum alienae parochiae contra dispositionem non solum constitutionum synodaliū editarum, tam sub illustrissimo ac reverendissimo domino domino Ioanne Matthaео Giberto episcopo veronensi quam sub eminentissimo cardinali Valerio et illustrissimo Sebastiano Pisani etiam episcopo veronensi nec non ritualis veronensis, super quibus audito etiam patre curato antedicto, instante manuteneri in sua possessione baptizandi infantes alienae parochiae non habentis baptisterium, prout praedecessores sui semper anteactis temporibus tam antiquis quam recentibus baptizarunt, quod etiam alias controversum fuit: his omnibus [4^v] intellectis, illustrissimus et cetera mandavit constitutiones et rituale praedictum exequi debere dictumque patrem curatum ab administratione baptismatis infantibus alienae parochiae, sub poenis in constitutionibus ipsis contentis et ita et cetera, omni et cetera. [A margine: San Nicola da Tolentino] Cumque infra limites dictae parochiae existat oratorium de novo a fundamentis fabrefactum [*manca*] circiter abhinc annis a confratribus societatis sancti Nicolai de Tolentino, seiunctis ab antiquo collegio seu confraternitate eiusdem sancti Nicolai in ecclesia Sanctorum Simeonis et Iudae existente, attenda hora tarda et multiplicitate populi sacramento Chrismatis confirmandi, distulit illius visitationem in aliam opportunam diem faciendam. Coeterum, cum dicta ecclesia in omnibus quae spectant ad sacramenta, ad curam animarum decore et honorifice provisum sit, nihil ordinandum censuit. Idem reverendus pater curatus ostendit mandatum suum ad curam animarum concessum ab illustrissimo et reverendissimo praesuli sub die 14 maii 1734. Itidem comparuerunt reverendus dominus Bartholomaeus Antonius Poli, sacerdos tridentinae dioecesis, cum suis dimissoriis die 27 aprilis 1710 ad libitum concessis, modo sub hac parochia degens; reverendus dominus Andreas Silvestri de Sancto Floriano, modo sub [5] eadem parochia degens, cum mandatis suorum ordinum; venerabilis clericus Iacobus Bressiani subdiaconus, cum mandatis suorum ordinum; de quibus factis perquisitionibus de eorum vita et moribus, recte fuit relatum. Facta postea perquisitione de obstetricibus, responsum fuit sub hac parochia nullam existere. Vide sententiam divortii inter Elisabeth Vicenti de Sancto Floriano, modo sub hac parochia degentem, et Andream Bressan quondam Valentini, Opedani degentem, eius virum, in prothocolo cancellariae episcopatus veronensis, cuius tenor talis est, videlicet: Die 9 ianuarii 1735. Illustrissimus dominus vicarius episcopalis in actu huiusmodi visitationis notitiam habuit Helisabeth Vicenzi, uxorem Andreae Bressan sub hac parochia uti famulam nobilium dominorum de Campis degentem, a praedicto eius viro, nullo iudiciali decreto interveniente, separatam vivere ipsomet eius viro

renuente, quapropter dictam Helisabeth ad se vocari iussit. Vocata et coram se constituta, illam paterne hortatus est et monuit ad eius virum reverti debere et cum ipso teneri indivisam pacifice ducere vitam. Introductus vero oretenus a praefata Helisabeth propriis iuribus et causis de tali sua absentia et separatione a viro suo innuet, instando [5^v] pro divortio. Illustrissimus dominus provicarius antedictus ambos coniuges audiendos esse de propriis iuribus deducentes diiudicavit; ideo eidem Helisabeth mandavit die 14 dicti mensis ianuarii 1735 comparere debere coram se in cancellaria episcopali et pro dicta die vocari et moneri etiam praefatum Andream Bressan, reservando sibi tanquam in visitatione summarie cognoscere et definire, partibus auditis, super puncto divortii huiusmodi et ita et cetera. Die 14 ianuarii 1735. Coram illustrissimo domino provicario generali se constituerunt, attenta monitione sibi facta, Helisabeth Vicenzi de Sancto Floriano, modo de santa Euphemia et Andreas Bressan quondam Valentini de Sancta Euphemia, modo Opedani degens, coniuges et oretenus propria iura et causas dicta Helisabeth protulit, scilicet nimiam sevitiem, iurgia, minas aliaque et cetera, quibus animus abalienatus est et divortium fieri humiliter efflagitavit; e contra suas dedit exceptiones, excusationes et iustificationes se defendendo praefatus Andreas Bressan, instando, imo reverenter, dictam eius uxorem Helisabeth teneri et damnari secum uniri. Omnibus auditis matureque perpensis ab illustrissimo domino provicario antedicto, cum minime Andreas praedictus se iustificaverit [6] eorumque animos irreconciliabili odio detentos cognoverit, Christi nomine invocato, a quo et cetera, summarie procedendo et cetera, attenta separatione antescripta, decrevit inter ipsos coniuges divortium faciendum fore et esse quoad thori et habitationis separationem, donec et usque quo – divina faciente gratia – eorumdem animi reconcilientur et ita et cetera omni et cetera. Praesentibus dominis Aloysio Cusani et reverendo domino Paulo ab Oleo notario huius curiae veronensis testibus.

In Christi nomine anno ab eiusdem Nativitate millesimo septingentesimo trigesimo quinto, indictione XIII, die vero dominico 16 mensis ianuarii, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divina providentia papae XII anno quinto. Illustrissimus ac reverendissimus in Christo pater ac dominus dominus Ioannes Bragadenus, Dei et sanctae apostolicae sedis gratia episcopus veronensis, comes, sanctissimi domini nostri domini Clementis divina providentia papae XII praelatus domesticus et assistens, inceptam iam – Deo favente – eius pastoralem visitationem in urbe Verona, ad Dei cultum animarumque progressum utiliore reddere studens, optimum fore duxit praemittere viros religione ac [6^v] prudentia graves, qui tribus praeceuntibus diebus in parochiali ecclesia visitanda piis ac sacris vacarent exercitationibus. Vocatis itaque duobus ex admodum reverendis patribus strictioris observantiae sancti Francisci, scilicet admodum reverendo patre fratre Narciso a Verona guardiano et reverendo patre fratre Pio a Novaleis, illis ad parochiales visitandas praeire comendavit hacque peragere, scilicet praecedenti dominica ante diem pro visitatione statutam, gravi praemissa concione, populum admonere de visitatione habenda; tribus vero diebus immediate ante visitationem, fidelium sacramentales confessiones audire, cum facultate absolvendi etiam a casibus in pagella reservatis et a prandio sacrum sermonem habere ac pueros vel puellas doctrinam christianam edocere. Qui singuli dies cum sanctissimi Sacramenti expositione ac benedictione nec non cum campanarum armoniaco sonitu colentur. His statutis ac praehabitis publicatoque edicto praemissisque omnibus praemittendis, hac statuta die ora 16 circiter rhedam ascendit una cum eius domino provicario generali, me cancellario ac domino eius secretario et sequutus ab uno ex dominis notariis suae episcopalis curiae eiusque familiaribus in aliis tribus rhedis assumptis, ad

[7] [A margine: SAN MICHELE A PORTA] parochialem ecclesiam Sancti Michaelis a Porta, eius relicto palatio, iter fecit. Eo perventus, obvios ad rhedam habuit nobiles dominos marchiones Alexandrum et Andream fratres de Carlotis et Antonium dicti Alexandri filium, equitem Sancti Stephani de Pisa humanissimis verbis salutationem ac obsequii laetitiaeque signa praebentes, quibus ipse praesul non minori humanitate respondit. Descendens e rheda inter tubarum clangores, sub baldachino exceptus, a quatuor eiusdem parochiae nobilibus viris gestato, osculata cruce a reverendo domino Antonio Mutinelli vicario dictae ecclesiae deputato oblata, ad ecclesiam progressus est. In cuius ianua facta aspersione aquae benedictae ac reverendo domino Andrea Bertolozzi, eiusdem ecclesiae parrocho, quam tantum functiones ob eius cadentem aetatem ac male affectam in obsequium eius antisti<tis> peregit; turificatus illam solemniter ingressus est. Inde ante altare maius oravit et, decantatis de more decantandis, illud ascendit et osculatus est atque, recitata sancti titularis oratione, ad populum conversus et benedictionem et episcopalem indulgentiam de suo mandato publicatam impartitus est. Postea ad tronum sibi decenter in cornu evangelii paratum se contulit, ubi ab admodum reverendis dominis patribus Andrea Gambarono, archipresbytero Sancti Thomae apostoli et Octavio Rosa doctore, archipresbytero Sanctorum Firmi et Rustici de C. A. eidem cum dalmaticis inservientibus, pluviali violacei coloris indutus, pro defunctis preces de more absolvit. [7^v] Processionaliter autem a maiori ianua per publicam viam ad inferiorem ecclesiam in ingressu alterius ianuae prospicientis

viam cursus sitam, duobus altaribus compactam, veniens similiter pro defunctis super sepulchris ibi iacentibus exequias fecit. Quibus peractis, sumtis tum ab illustrissimo ac reverendissimo praesule tum ab assistentibus paramentis albi coloris, praemissis adoratione ac turrificatione decantatoque hymno, sanctissimum Eucharistiae sacramentum visitavit, quod ad altare maius in tabernaculo marmoreo ferreo ostiolo sera et clavi munito ac in pixide argentea cum pede vero cupreo aurato decenti canopeo cooperta bene tentum invenit. Et factis debitis interrogationibus, praedictus reverendus dominus Antonius Mutuinelli vicarius asseruit sanctissimum Eucharistiae sacramentum opportunis temporibus renovari; ante ipsum ardere lampadem semper accensam, nisi fortuito emoriatur, quo casu – ut cognoscitur – denuo accenditur; eandem lampadem manutenendi nec non ceras ad altare maius onus esse reverendi archipresbyteri. Sacramentum, quando contingit ad aegrotos deferri, sufficienti decore ac eo maiori quo patitur pauperies ecclesiae ac beneficii huiusmodi, associari, consuetis signis convocari populum et concessas associantibus indulgentias publicari. Animas huiusmodi parochiae [8] numerari a communione 150, in totum 250 nullamque – Deo favente – existere inconfessam in Paschate et eo tempore communicatis distribui schedas et subinde colligi. Populo autem, praevia iterum adoratione, turificatione ac hymno cum eodem Sacramento impartita benedictione, non nullis utriusque sexus christifidelibus propriis manibus eucharisticum Panem erogavit eorumque animas refecit. Postea pontificalibus indutus, iisdem admodum reverendis archipresbyteris assistentibus et inservientibus, missam privatam celebravit, in cuius celebratione solitis adhibitis ritibus et coeremoniis iuxta pontificalem romanum infrascriptos clericos, in aetate debita constitutos, habiles et idoneos reputatos suisque necessariis requisitis munitos, ad sacros diaconatus et presbyteratus ordines legitime promovit, videlicet: ad diaconatum Ioannem Zanardi de Carpio veronensis dioecesis cum brevi extra tempora et super interstitis datum Romae die 16 decembris 1734; ad presbyteratum: dominum Valentinum Dossi de Corneto veronensis dioecesis cum brevi extra tempora et super insterstitiis diei 17 decembris 1734; dominum Ioannem Mariam Malvezzi de Portu Lemniaci veronensis dioecesis cum brevi extra tempora et super interstitiis diei 11 decembris 1734, [8^v] praesentibus admodum reverendo domino Iosepho Mezzanini, archipresbytero Sancti Ioannis ad Forum Veronae, coeremoniarum magistro et reverendo domino Petro Maria Regazzono, sacerdote notario episcopali testibus et cetera. Interim illustrissimus dominus Ioannes Petrus comes Porta, provicarius episcopalis, associatus ab illustrissimo domino marchione Alexandro de Carlotis ac reverendo domino Francisco a Monte, sacerdote de Minerba veronensis dioecesis, se contulit ad visitationem oratorii privati erecti in aedibus palatii nobilium dominorum marchionum de Carlotis praedictis, sub hac parochia; quod in decenti parva aede ad hoc decore ex muro extracta, a domesticis usibus remota cum altare ac suo portatili nec non parvo icone beatae Mariae Virginis, ex indulto apostolico, prout ex brevi exhibito et restituto sub datum Romae die 9 septembris 1719, liquet canonice erectum nec non de opportunis ac necessariis tum ad ornatum tum ad sacrum faciendum honorifice provisum invenit. Ubi ad murum nobilium dominorum de Carlotis, quibus facultas data est cum praefato brevi, exceptis tamen diebus cum eodem brevi expressis, celebrat reverendus dominus Franciscus a Monte antedictus. Hac peracta visitatione, ad parochialem reversus, visitationem librorum parochialium, matrimoniorm scilicet et mortuorum ab ipso admodum reverendo domino archipresbytero traditorum vacavit illosque diligenter examinavit. Illustrissimus vero ac reverendissimus dominus praesul, absoluta missa et ordinatione, iterum aliquibus utriusque sexus christifidelibus angelicum Panem, iisdem inservientibus admodum reverendis archipresbyteris [9] erogavit et sacramentum Confirmationis quamplures in fronte unguendo ministravit. Inde deveniens ad visitationem oleorum sanctorum visitavit tantum oleum infirmorum, cum huiusmodi ecclesia careat fonte baptismali. Quod sanctum oleum in loculo decenti a cornu evangelii altaris maioris sub ostolo ferreo, serra et clavi tute custoditum, invenit. Visitavit duo confessionalia, in eadem ecclesia pro sacramentalibus fidelium confessionibus excipiendis erecta. Visitavit quinque eiusdem ecclesiae altaria, videlicet: altare maius non consecratum, ex marmore non multis abhinc annis cum decenti icone divum Michaellem repraesentante ac cum portatili honorifice extractum; ad quod nullum assertum fuit existere simplex beneficium seu officiatorum aut onus missarum nullamque laicalem sodalitatem. Altare sub titulo sanctae Veridianae, angustum et antiquae formae ac pauperrime provisum, non consecratum sed cum portatili, ubi extat simplex perpetuum beneficium ecclesiasticum, cum onere missarum et inserviendi ecclesiae, de iure patronatus nobilium dominorum de Taffelis, ad quos spectat ius eligendi et praesentandi illustrissimo ac reverendissimo episcopo veronensi idoneam personam et eiusdem beneficii seu capellaniae modo est rector reverendus dominus Antonius Mutinelli, cum bullis episcopalibus [9^v] diei 13 maii 1733, visis et restitutis. Altare sub titulo sanctae Agnetis, item angustum et antiquae structurae ac pauperrime provisum, non consecratum sed cum portatili. Ad hoc altare extat simplex perpetuum ecclesiasticum beneficium, cum onere missarum, de iure patronatus devoluto ad sacram congregationem Cleri intrinseci Veronae, cuius beneficii modo est rector

reverendus dominus Dominicus Vallarsi, cum bullis diei 26 augusti 1724 eiusdem sacrae congregationis, a qua confertur. Altare in inferiori ecclesia situm sub titulo sancti Michaelis, non consecratum sed cum portatili, pauperrime provisum. Hic extat erectum simplex perpetuum ecclesiasticum beneficium, cum onere missarum, de iure patronatus nobilium dominorum comitum de Bevilaquis uti haeredum quondam dal Ben; cuius beneficii modo est rector admodum reverendus dominus Andreas Bertolozzi, cum bullis episcopalibus diei 8 iunii 1702, qui est eiusdem ecclesiae archipresbyter. Altare sanctae Iustinae, in eadem inferiori ecclesia contra illud sancti Michaelis situm, non consecratum sed cum portatili, item pauperrime provisum; ad quod altare habetur simplex perpetuum ecclesiasticum beneficium cum onere missarum, de iure patronatus olim quondam del Ben, modo excellentium dominorum Bertutii et Leonardi fratrum Valieri, nobilium venetorum, cuius modo [10] est rector, cum bullis episcopalibus diei 5 februarii 1727 reverendus dominus Petrus Locatelli, sacerdos veronensis. In eadem ecclesia alia habentur pia legata seu onera missarum, videlicet: onus missarum pro ducatis sex, quas celebrat reverendus dominus Palmerinus Ferrari; aliud onus missarum, item pro ducatis sex, quas celebrat reverendus dominus [manca] Nicolis; aliud quoque onus missarum pro ducatis quindecim, quae per varias copulas supplentur et satisfaciunt; demum legatum capitalis ducatorum mille, relictorum a quondam nobili domina comitissa Anna Maria Carloti Campagna eius testamento condito die 10 maii 1732 in actis domini Caroli Bernardi, cum onere capitale ipsum investiendi a reverendo paroco Sancti Michaelis ad Portas et eligendi ab ipso paroco sacerdotem qui celebret tot missas quot supportare possit annuus redditus dicti capitalis investiti, cum assensu tamen in utroque casu, tam investiendi capitale quam electionis capellani, praestando a maiore natu eiusdem nobilis familiae de Carlotis. Huiusmodi capitale, cum assensu iuxta mentem testatrix, maioris natu de Carlotis iam investitum fuit, sed nondum est facta electio capellani, prout ordinavit testatrix; iterum tamen satisfacit et celebrat reverendus dominus Franciscus Monti, sacerdos de Manerba veronensis dioecesis. Vidit totam ecclesiam, quae est divo Michaeli dicata et appellatur ad Portas; fertur fuisse consecratam a summo pontifice [10^v] Lucio III; nullum tamen extat fundamentum nullusque dies consecrationis colitur. Hoc beneficium libere confertur ab illustrissimo ac reverendissimo domino episcopo per concursum, cessantibus reservationibus apostolicis et admodum reverendus dominus Andreas Bertolatus, eiusdem modernus parochus, obtinuit die 28 iunii 1687 in executione bullarum apostolicarum Innocentii XI diei 16 iunii 1687, quas ostendit cum mandato possessorio serenissimi principis 21 iunii 1692. Visitavit sacristiam, angustae formae, vasa sacra et sacras suppellectiles, in armariis ligneis servata, de quibus et de omnibus opportunis et necessariis invenit pauperrime provisam et fere omnia apparamenta consunta, lacera atque suspensa. Cum vero hora esset tarda, se recepit in parochiales aedes, defatigatas vires quiete refecturus, ubi parvam refectiunculam ex rebus propriis sumpsit, ne parvi quidem gravaminis esset ecclesiae et ne tempus deficeret ad diligentius suae visitationi incumbendum. Itaque parumper refectus, [acercito]<arcessito> admodum reverendo domino archipresbytero, visitationis negotiis vacavit et in primis de reparanda egestate sacristiae humanissima verba fecit. Qui reverendus archipresbyter, praesentatis prius iuxta mandata suae illustrissimae ac reverendissimae dominationis requisitis polliceis, in fine repositis sub littera A, pro tanta humanitate plurimas gratias egit et, cognita egestate suae ecclesiae et sacristiae, suppellectiles quas proprias in inventario producto asseruit, perpetuo eidem ecclesiae [11] donavit, prout ex eius donatione in calce praedicti inventarii manu propria firmata, cui et cetera. Quapropter captum et sancitum fuit ut infra in decretis, quibus et cetera. Interrogatus autem idem reverendus archipresbyter de suo clero et populo, de utroque bene retulit nullamque indolendi causam habere fassus est. Verum contra reverendum vicarium huic suae ecclesiae deputatum reverenter petere prout in instantia, quam praesentavit, infrascripti tenoris, videlicet: Eccellenza reverendissima. Con bolle venerabili della santa memoria di Innocenzo XI pontefice e in virtù del possesso del mio serenissimo principe, circa anni cinquanta ho avuto l'onore d'esser parroco della chiesa venerabile di San Michele ad Portas, quale con religiosa osservanza ho amministrata senza meritar mai alcun sinistro ricorso in questo vescovato. Onde, l'incolpabile mia vita mi fa ardito di porger riverenti suppliche alla benignità di vostra eccellenza reverendissima, acciò nell'emergenti occorrenze d'esser stato spogliato dell'esser mio di arciprete, restatomi solo il titolo ozioso in questi miei ultimi anni che, se la debolezza mi entrò nelle gambe, non poté però ascendere al cervello e privarmi della cognizione di scoprire il mio dovere nella mia impotenza, mentre all'urgenze della parrocchia ho provveduto di un curato ch'è il signor don Antonio Mutinelli, quale ottenne in ricompensa la casa che affittavo per ragione [11^v] della chiesa ducati dodici ed anco quattordici all'anno acciò a mio nome ed in mia vece con titolo di curato assistesse alla parrocchia. Cosa sia nato e come abbia impetrato me inscio, anzi nolente, un mandato di vicario, scopro bene da casi occorsi la sua sagacità ed è di signoreggiare a suo beneplacito, senza dipendenza da chi lo accettò per curato. Tale ingratitude soprafa in maniera la mia tolleranza che, vedendomi spogliato di quelli emolumenti che il

Signor Iddio ha destinato per mio vitto, non posso a meno di supplicarla. Primo: che dallo stesso mi sia restituito quanto ha percetto indebitamente di ragione parrocchiale nel tempo scorso sì de funerali che d'altri emolumenti e cere per la chiesa. Secondo: che, stante il non esservi il bisogno di vicario, attesa la sua cognizione e provida diligenza d'aver provisto curato per le urgenze della parrocchia, sia revocato quel certo tal qual mandato che tenta escludermi da quell'onore e da quell'utile che il Signor Iddio mi destinò, in sfreggio delle mie bolle pontificie e possesso del mio serenissimo principe, certificando che la provigione di un sollecito curato adempirà a quanto esigge il mio dovere e la volontà del mio superiore. Grazie. Don Andrea Bortolozzi parroco. [12] Decreta. Qua visa et lecta ab illustrissimo ac reverendissimo episcopo, vocato reverendo domino Antonio Mutinelli vicario ad ecclesiam hanc deputato eodemque audito: quoad primum caput, se iustificante cum praesentatione notulae fructuum incertorum qui sibi pervenerunt in cura animarum exercenda et expensarum e contra per se factarum in utilitatem ecclesiae et provisionem rerum necessariarum, quam dominatio sua illustrissima et reverendissima oculariter inspexit; quibus constare fecit longe amplius de proprio impendisse quam de emolumentis incertis perceperit; quoad secundum caput, oculari inspectioni impotentiae dicti domini archipresbyteri se remisit, paratum decretis eiusdem illustrissimi et reverendissimi praesulis obedire. Quocirca illustrissimus et reverendissimus dominus episcopus decrevit: quoad primum caput, dominum archipresbyterum acquiescere debere, cum summa expensarum in rebus necessariis reverendi Mutinelli longe excedat utilitatem emolumentorum perceptorum ex incertis ecclesiae; quoad secundum caput, oculariter inspecta impotentia reverendi archipresbyteri, ob eius ingravescentem aetatem in exercenda cura animarum in omnibus necessariis et attenta diligentia inserviendi eidem curae eiusque adhuc a reverendo Mutinelli adhibita et attentis rectis informationibus a senioribus et gravioribus viris fide dignis eiusdem parochiae, eundem vicarium confirmandum censuit prout confirmavit, attento maxime quod onus huiusmodi gratis et sine ullo reverendi archipresbyteri gravamine sustinet; [12^v] mandans tamen quod inter ipsum dominum archipresbyterum et vicarium pax et concordia vigeat, ad quem finem et effectum reverendus vicarius omnia curae negotia communicare cum domino archipresbytero debeat et cum eius assensu incerta in beneficium ecclesiae potissimum circa necessaria providenda erogare, cum multis indigeat ecclesia et praesertim in exequendo ordinata huius visitationis et, quatenus aliqua inter eos super his oriatur differentia, sibi decisionem reservavit. Quo vero ad fructus certos, idem reverendus vicarius nullatenus in eis se ingerat, nisi a reverendo archipresbytero requisitus. Insuper, cum sacristia inventa fuerit destituta suppellectilibus sacris, cum planetae et apparamenta alia fere omnia suspensa sint et, attento quod dominus archipresbyter suppellectiles quas proprias in eius inventario producto asseruit esse ecclesiae suae perpetuo donavit et inserviendas assignavit, qua de caussa ordinata non fuit reparatio sive illarum provisio necessario facienda pro eiusdem ecclesiae servitio: decrevit omnia apparamenta coeteraque in dicto inventario descripta et, ut supra, donata conservari debere et custodiri in loco tuto et in armario, ex quo tam dominus archipresbyter quam vicarius praedictus illas valeant desumere et uti prout necessitas ecclesiae postulabit et ita et cetera, omni et cetera.

Facta perquisitione de obstetricibus, nullam sub hac parochia existere assertum fuit. Item, factis perquisitionibus de vita et moribus ac diligentia [13] in eorum munere adimplendo tam admodum reverendi archipresbyteri quam reverendi domini vicarii praedictorum, de utroque a probis et senioribus viris eiusdem contratae bene et laudabiliter relatum fuit. Comparuerunt autem coram sua illustrissima ac reverendissima dominatione praefati domini capellani huiusmodi parochialis ecclesiae, scilicet reverendus dominus Antonius Mutinelli, capellanus sanctae Viridianae, cum bullis episcopalibus diei 13 maii 1733; reverendus dominus Dominicus Vallarsi, cum bullis sacrae congregationis Cleri intrinseci Veronae diei 26 augusti 1724; capellanus sanctae Agnetis; admodum reverendus dominus Andreas Bertolozzi, archipresbyter et capellanus sancti Michaelis, cum bullis episcopalibus diei 8 iunii 1702; reverendus dominus Petrus Locatelli, capellanus sanctae Iustinae, cum bullis episcopalibus diei 5 februarii 1727 et reverendus dominus Maximilianus Lanceni, sacerdos eiusdem contratae et curatus sancti Matthaei qui, dato plurimi eorum obsequii erga dominationem suam illustrissimam ac reverendissimam argumento, suorum ordinum mandata et respective capellaniarum bullas ostenderunt. Quibus dimissis et properata iam hora, illustrissimus dominus dominus praesul ad parochialem ecclesiam se contulit et, convocato iam populo et praecipue puellis quae singulis festivis diebus in hac ecclesia de doctrina christiana docentur, circa eandem doctrinam christianam experimentum fecit, ipso semper adstante, per reverendum dominum patrem fratrem Narcisum a Verona, unum ex reverendis patribus praecursoribus, istas et illas interrogare faciendo [13^v] et bene instructis ac bene respondentibus propria manu liberaliter dona largiendo. Huiusmodi peracto sancto exercitio et, inspecto huiusmodi doctrinam nullo laborare discrimine sed bene iuxta regulas se gerere, denuo Confirmationis sacramentum aliquibus utriusque sexus christifidelibus administravit factisque exinde infrascriptis ordinatis

et pro defunctis facta oratione, huiusmodi visitationem clausit et ad suum episcopale palatium in suis rhaedis cum sua familia, quam secum ad mensam voluit. reversus est. Ordinata. Provideatur parva pixis pro deferendo sanctissimo Sacramento ad infirmos, ne unquam ecclesia eadem destituatur – clavis ostioli tabernaculi fiat argentea vel saltem inauretur et ostiolum ipsum intus vestiatur decenti panno albo – in qualibet partita matrimoniorum exprimantur dies publicationum – super ostiolo oleorum sanctorum incidantur vel pingantur verbis maiusculis *Olea Sancta* – locus eorumdem oleorum circumvestiatur panno violaceo – altaria sanctae Viridianae et sanctae Iustinae provideantur novis portatilibus ad mensuram canonicam – altare vero sanctae Agnetis, cum invenerit sepulcrum sacrum [14] reliquiarum in eiusdem portatile fractum, suspendit et suspensum existat donec et usquequo de novo portatili ad mensuram canonicam provideatur – provideatur liber pro registrandis missis quae in eadem ecclesia celebrantur et servetur in sacristia ut fideliter registrentur – conficiatur tabella onerum et legatorum ipsiusmet ecclesiae, cum eorumdem redditibus et nominibus piorum legantium ac notariorum qui legantium voluntatem rogarunt, describendo tempora, quae tabella perpetuo affigatur in sacristia – sarciantur rituale romanum et missalia romana nec non missalia provideantur de missis novissimis – provideantur pagellae contra sollicitantes et *In Coena Domini*, in sacristia asservandae – paramentum sacerdotale album indecens et lacerum nec non duo camisellei, item indecentes et laceri, suspensa sint et nemo illis utat[n]tur – coetera paramenta et sacrae suppellectiles, ubi et quomodo indigent, sarciantur – in sacristia fiat et provideatur labellum cum suo manutergio – fiat pariter in sacristia vel in ecclesia sacrarium – ambo confessionalia provideantur pagella casuum reservatorum et muniantur crate ferrea illarumque alter ubi indiget restauretur.

[14^v] [A margine: SAN LORENZO], nullis pastorem visitationem comitantibus minime perterritus commodis, immo in dies erga tantum opus magis magisque crescente zelo, hac die parochialis ecclesiae Sancti Laurentii Veronae statutam visitationem, praeterita hebdomada publicatam, peracturum se paratum obtulit. Itaque praehabitis iam tribus praecedentibus diebus, iuxta praescriptam methodum, per reverendos patres praecursores Narcisum a Verona guardianum et Pium a Novaleis, ordinis strictioris observantiae sancti Francisci, sacramentalibus in confessionibus, cum facultate absolvendi etiam a casibus reservatis ac sacris sermonibus et exercitio doctrinae christianae cum expositione ac benedictione sanctissimi sacramenti diebus tribus nec non armoniaco campanarum sonitu praemissisque praemittendis, hora 17 circiter huiusmodi diei 23 ianuarii, ad palatium suum episcopale sibi obviam in rhaeda [15] venerunt nobilis dominus Hieronymus Portaluppi, nobilis dominus comes Franciscus de Medicis, nobilis dominus comes Rambaldus de Rambaldis, nobilis dominus Iacobus Muselli, omnes de dicta parochia Sancti Laurentii et plurima obsequii et laetitiae argumenta erga dominationem suam illustrissimam ac reverendissimam actibus et verbis praebuerunt. Quibus humanissime receptis equali animo respondendo, illustrissimus ac reverendissimus praesul suam ascendit rhedam una cum illustrissimo domino comite Ioanne Petro Porta eius provicario, reverendissimo eius secretario ac me eius cancellario, sequentibus praefatis nobilibus dominis et subinde reliqua eius familia, ad parochialem ecclesiam Sancti Laurentii iter fecit; ad quam perventus, tubis salutatur et obvium habuit admodum reverendum dominum archipresbyterum cum suo clero obsequium plurimum praebentem, descensus e rheda, sub baldachino gestato a nobilibus dominis comitibus Nicolao Vincentio et Antonio fratribus de Medicis, nobili domino comite Alexandro Nogarola et nobilibus dominis comitibus Philippo et Gerardo fratribus de Rambaldis excipitur et super tapete ac pulvino genuflexus, oblatam ab admodum reverendo archipresbytero pluviali induto crucem osculatur, qua deosculata, ad parochialem ecclesiam progreditur, in cuius limine sistens super populum aspersionem aquae benedictae fecit et trina thurificatione ab admodum reverendo archipresbytero honoratus est. Facto autem tubarum et aliorum [15^v] instrumentorum armoniaco concentu, ad altare maius perexit, ante quod in faldistorio prostratus pias ad Deum preces fudit, dum interim solita ab admodum reverendo archipresbytero et clero decantantur. Quibus persolutis, altare ascendit eoque deosculato recitataque titularis oratione, ad populum conversus omnibus adstantibus benedictionem suamque episcopalem indulgentiam dedit et concessit. Ascenso autem throno sibi in cornu evangelii parato, ab admodum reverendis dominis Antonio Costanzi priore Omnium Sanctorum et Sancte Ruzenente archipresbytero Sancti Salvatoris ad Frignanum Veronae dalmaticis indutis, pontificalibus pro exequiis vestitur et, iisdem inservientibus, solita defunctorum suffragia in ecclesia et subinde in contiguo coemeterio, muris recenter valato, persolvit. Porro depositis pontificalibus violaceis albisque sumtis, iisdem inservientibus, debita praemissa adoratione et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, quod in pixide argentea intus aurata, canopeo cooperta, ad altare maius in tabernaculo ex marmore decenter confecto ac panno albo circum vestito, ferreo sub ostiolo sera et clavi tute custoditum, invenit. [16] Admodum reverendus archipresbyter, perquisitus, fassus est nullum – Deo dante – habere inconfessum et animas sub hac sua parochia degentes esse ad numerum 424 ad communionem, in totum vero

655, non computatis militibus Castris Veteris sub eadem parochia degentibus; temporibus debitis renovari Sacramentum illudque, dum ad infirmos defertur, associari decenter, datis prius, prout de more, signis pro convocando populo, cui publicantur indulgentiae associantibus a summis pontificibus concessae nec non haberi vexillum, fanalia, umbellam, baldachinum, thronum coeteraque opportuna pro decora associatione, quae omnia visa sunt et bene tenta reperta, sicut etiam vidit necessaria pro conficiendo vulgo sepulcro – sed verius regia Christi viventis – in hebdomada maiori; in Paschate communicatis distribui scedas et subinde colligi; tandem manutentionem lampadis, quae semper ante Sacramentum ad altare maius accensa ardet, nec non cerarum pro eodem altari maiori esse onus reverendi archipresbyteri. Non habetur societas sanctissimi Sacramenti, sed tantum in hac ecclesia extat societas sanctissimae Passionis, infra dicenda; quae tamen suppeditat et manutinet necessaria pro associando sanctissimo Sacramento. [16^v] Illustrissimus vero ac reverendissimus praesul quamplures utriusque sexus fideles propriis manibus, iisdem inservientibus archipresbyteris, eucharistico Pane cibavit. Iterum adorato augustissimo Sacramento et reposito, pontificalibus induitur pro missa celebranda et ordinatione habenda. Itaque omnibus dispositis, iisdem admodum reverendis archipresbyteris inservientibus, missam privatam celebrat solitisque adhibitis ritibus et caeremoniis ad normam pontificalis romani, infrascriptos clericos in aetate debita constitutos, habiles et idoneos reputatos suisque necessariis requisitis munitos, ad sacros subdiaconatus et presbyteratus ordines legitime ordinavit et promovit, scilicet: ad subdiaconatum, Iosephum Masotti filium Augustini, de Sanctis Apostolis Veronae, ad titulum unius ex locis duodecim in cathedrali Veronae, cum brevi extra tempora diei 10 ianuarii 1735; Carolum Pacchio filium quondam Ioannis de Sancto Ioanne in Fonte, ad titulum officii pastoralis in cathedrali Veronae, cum brevi extra tempora diei 10 ianuarii 1735. Ad presbyteratum: dominum Ioannem Zanardi de Caupio veronensis dioecesis, cum brevi extra tempora desuper interstitiis diei 16 decembris 1734. [17] Praesentibus admodum reverendo domino Iosepho Mezzanini archipresbytero Sancti Ioannis ad Forum et caeremoniarum magistro et reverendo domino Paulo ab Oleo sacerdote de Sancto Petro ad Monasterium aliisque et cetera, testibus et cetera. Dum haec agerentur, illustrissimus dominus comes Ioannes Petrus Porta provicarius episcopalis se contulit ad visitandas ecclesias seu oratoria, tum publica tum privata, sub hac parochia existentia et visitavit: oratorium privatum in aede terrena palatii nobilium dominorum de Musellis, cum indulto apostolico erectum, prout liquet ex brevi nobilibus dominis Iacobo Muselli et Metildi coniugibus directo, sub dato Romae die 21 ianuarii 1730 in cancellaria episcopali exequuto, praesentato, viso et restituto, quod a domesticis usibus remotum, honorifice tentum ac provisum tum ad ornatum altaris, decenti icone et suo portatili muniti, tum ad sacrum faciendum, iuxta breve praedictum, invenit; in quo celebrat diebus – exceptis in ipsomet brevi descriptis – reverendus dominus Angelus Gaburro sacerdos de Palatiolo annorum 60, capellanus domi existens praefatae nobilis familiae dominorum de Musellis. Visitavit quoque oratorium privatum terrena in aede palatii nobilium dominorum marchionum de Canossis, apostolica facultate extractum, ut constitit ex brevi pontificio in cancellaria episcopali exequuto sub dato Romae die 31 iulii 1720 nobilibus dominis marchioni Bonifacio de Canossa et nobili dominae marhionissae [17^v] eius uxori ostenso, viso et restituto; et illud a domesticis usibus omnino remotum, cum anteriori in parte sacristia ac armariis pro sacra etiam pretiosa suppellectile asservanda, honorifice tentum et provisum nec non eleganter cum decenti icone et altare cum portatile confectum invenit; in quo, iuxta facultatem brevis praecitati, non tamen diebus in eodem brevi exceptis, celebrat reverendus dominus Iacobus Fraccalini sacerdos de Lucara, cum suis dimissorialibus – ut assertum fuit – non tamen visis eo quod in praesentiarum absit.

[A margine: San Martino] Profectus exinde est ad visitandam ecclesiam simplicem Sancti Martini, intra muros fortilicii Castris Veteris erectam; quo perventus, honore militari exceptus fuit. Vidit ecclesiam, non tam angustae formae, antiquitatem praeseferre et fertur anno 789 ante aedificationem eiusdem Castris fuisse parochialem; propterea adhuc retinere nomen contratae Sancti Martini in Aquario. Unico constat altare non sacro sed cum portatili et cum icone rapresentante beatam Mariam Virginem, sanctum Martinum, sanctum Carolum et sanctum Andream; reputatur opus ex schola Brusasorzi. Retro altare habetur chorus, qui inservit pro sacristia, ubi suppellectiles sacrae asservantur, quas invisit et sufficienter provisum invenit. Hic celebrat reverendus dominus Iacobus Fracassini, sacerdos veronensis, a serenissimo principe seu duce Venetiarum, cum [18] ducali electus, stipe tradita ex capsula publica ducatorum 60 in singulos annos ubi, viso aliquo lapide sepulchrali, preces pro defunctis fudit et ordinavit ut infra. Ordinata. Altare provideatur de portatili ad mensuram canonicam et paulisper tantum emineat supra mensam – in choro provideatur tabella praeparatoria pro sacerdote celebraturo – item provideatur vas cum suo manutergio pro ablutione manuum eiusdem sacerdotis. Porro idem illustrissimus dominus provicarius generalis, ad ecclesiam parochialem reversus, adhuc illustrissimo et reverendissimo domino episcopo in sacra ordinatione perdurante, parochialium

librorum visitationi vacavit. Itaque prae manibus eisdem parochiales libros iam ad admodum reverendo archipresbytero paratos accipiens, scilicet status animarum, mortuorum, matrimoniorum et baptizatorum, omnes diligenter inspexit, sed praecipue librum inscriptum *Matrimoniorum et Baptizatorum ab anno 1721*, cum in hac ecclesia baptisterium extare non viderit. In cuius libri fine aliquas baptizatorum partitas et post partitam sub die 28 martii 1722 cum nomine Francisci Borgia hoc notabile invenit, scilicet: *usque adhuc* [18*] *aqua baptismalis praestita fuit a fonte Sancti Donati et Columbae, ubi etiam de his est registrum*. Subinde aliam inspexit partitam sub die prima maii 1724, cum nomine Pauli Iacobi filii domini Iosephi Caldini, hisce verbis exaratam, scilicet: *Baptizatus fuit a me Donato Antonio Bresaola archipresbytero Sancti Laurentii in hac mea ecclesia in fonte novo a me elevato*. De qua elevatione facienda nullam videns licentiam et facultatem, sibi reservavit verba super hoc facere cum illustrissimo ac reverendissimo domino episcopo. Interim visitavit sacristiam, vasa sacra et sacras suppellectiles, de quibus bene provisam et bene tentam invenit. Absoluta missa et ordinatione ac habita gratiarum actione ab illustrissimo et reverendissimo domino episcopo, visitavit simul cum suo provicario generali sacras reliquias, in loculo ad hoc confecto in cornu epistolae altaris maioris, tute sub ostiolo sera et clavi servatas, scilicet: sacram reliquiam sancti Laurentii martyris levitae, repositam in theca ovata ex auricalco et crystallo anteriori confecta, munitam litteris patentibus sanctissimi ac reverendissimi domini Petri Antonii Petrasanta episcopi Marturani diei 1 iunii 1721, [19] recognitam in episcopali curia Veronae die 15 iulii 1724; sacras reliquias de ligno sanctissimae Crucis Domini nostri Iesu Christi; de velo beatae Mariae Virginis; de palio sancti Ioseph et ex ossibus sanctorum Ioachim et Annae, simul repositas in reliquiario ovato ex argento et duplici crystallo confecto, una cum litteris patentibus illustrissimi et reverendissimi domini Francisci Friderici Baiulli de Iordanis archipresbyteri militensii diei 27 ianuarii 1727, recognitas in episcopali curia Veronae die 16 februarii 1728. Visitavit oleum infirmorum, in vase argenteo bene tentum et in loculo a cornu evangelii extracto, sub ostiolo, clavi et sera tute custoditum. Visitavit confessionalia et altaria, scilicet: altare maius, eleganti forma ex marmore extractum et crastis item marmoreis de novo septum, non consecratum sed cum portatili et choro, ubi est icon representans sanctum Laurentium, sanctum Stephanum, sanctum Ioannem Baptistam ac beatam Virginem Mariam cum puero Iesu, opus Dominici Brusasorzi; manutinetur a reverendo archipresbytero et est bene provisum; nulla adest societas, nullum beneficium simplex seu capellania et est de iure ecclesiae. Altare sancti Augustini marmoreum, non consecratum sed cum portatili et icone rapresentante divum Augustinum meditantem, opus vulgo dell'Orbetto; est de ratione ecclesiae et manutinetur a reverendo archipresbytero; caret societatis et capella suis. [19*] Altare sancti Antonii de Padua marmoreum, non consecratum sed cum portatili et icone, de ratione ecclesiae, a reverendo archipresbytero manutentum et bene provisum; nulla ibi habetur societas et nulla capellania. Altare sancti Laurentii et sanctae Annae marmoreum, non consecratum sed cum portatili et icone, sub quo icone extat statua marmorea eiusdem sancti Laurentii proni super craticulam; ad hoc altare extat societas doctrinae christianae, de licentia reverendi archipresbyteri erecta, cum privilegio eidem societati concessa die 6 septembris 1730; hic quoque habetur perpetua officitura redditus annui ducatorum sexaginta, instituta suo testamento 26 septembris 1718 in actis domini Bernardi Franchini notarii, nec non subsequuto codicillo anni 1721, ab admodum reverendo domino comite Heronymo Dal Pozzo archipresbytero huiusmodi parochialis, quae adimpletur a reverendo domino Ioanne Baptista Moccato, ad eiusdem titulum promotus. Quotidiana insuper hic est celebranda missa, vi testamentariae dispositionis quondam domini Hieronymi Avesani, qua testamentaria dispositione suam haeredem reliquit et instituit ecclesiam hanc cum dicto onere, quod onus modo adimpletur a reverendo domino Iosepho Bresavola. Redditus sunt ducata 92, solvenda a pluribus affictualibus; coeterum altare est de iure ecclesiae, manutentum a reverendo archipresbytero et bene provisum. [20] Altare sanctissimae Passionis marmoreum, non consecratum sed cum portatile et cum statua beatae Mariae Virginis Adoloratae, genibus Christum mortuum sustinentis, in arca marmorea perlucidis crystallis munita reposita et servata. Hoc altare est de iure ecclesiae sine redditibus et sine officitura ex obligatione; est bene tentum et habet societatem utriusque sexus fidelium, antiquitus erectam sub nomine eiusdem sanctissimae Passionis, cuius societatis onus est ceras, oleum et omnia opportuna ac necessaria propriis expensis praestare pro vulgo sepulcro, sed verius regia Christi viventis, in haebdomada maiori nec non manutene intortitia et necessaria pro decora associatione sanctissimi Sacramenti. Haec societas habet redditus sed parvi momenti, nullo vero est gravata onere missarum. Quo tamen ad onera missarum, admodum reverendus archipresbyter ex nonnullis legatis asseruit in hac ecclesia esse celebrandas missas bis centum viginti octo circiter in singulos annos; de hac vero obligatione nullum extare iuridicum fundamentum, sed solum traditiones seu privatas ac confusas adnotationes suorum praedecessorum, quas missas ipse partim celebrat, partim per suos sacerdotes celebrare facit. Cum vero ex ipsis traditionibus seu notulis appareat huiusmodi missas esse per hebdomadas distributas

idque nullo [20^v] innitatur fundamento et hoc modo non habeatur servitium ac commodum ecclesiae, aliquando pro opportunitate servitii ecclesiae, missas ipsas celebrare facit anticipate et sic in posterum facere posse petiit, ita ut satis sit de anno in annum integre satisfacisse. Illustrissimus et reverendissimus dominus episcopus, dicta instantia intellecta, benedixit. Tandem vidit totam ecclesiam, tribus navibus compactam, antiquitatem praeseferentem divo Laurentio prothomartyri dicatam; an vero consecrata sit necne, ignoratur; propterea nullus colitur consecrationis dies; porro huiusmodi ecclesia est decorata perantiquo memorabili et unico in urbe Verona privilegio sanctissimi domini nostri papae Innocentii sub datum Romae 1488 pridie kalendas iulii, pontificatus sui anno quarto, tenoris et continentiae uti in eo, quod ad perpetuam tanti monumenti memoriam et huiusmodi ecclesiae decorem admodum reverendus archipresbyter humiliter petiit in actis huius visitationis per extensum registrari. Cui instantiae illustrissimus ac reverendissimus praesul favorabiliter annuendo, registrari mandavit et tenor talis est, videlicet: “Privilegio perpetuo per le messe privilegiate nella venerabile chiesa di San Lorenzo di Verona. [21] Innocentius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ante thronum dominae Maiestatis fideles Christi sanctorum piis adiuti sufragiis ad eorumdem sanctorum colenda festiva solemnia, eo debent ferventius incitari, quo talium patronorum fulciti praesidiis, potiora gloriae et retributionis praemia valeant promereri ac per quae devotio et animarum salus earum praevenire dignoscitur. Unde nos, more pastoris vigilis oves nostrae curae commissas, quas cupimus in pascuae collocari, ad ipsorum sanctorum trahimus libenter obsequia, ut eas in conspectu Domini devota veneratione collaudent. Sane sicuti exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Hieronymi de Maffeis, canonici et rectoris ecclesiae Sancti Laurentii Veronae, petitio continebat: cives Veronae, qui ob singulare devotionis affectum, quem ad gloriosum martyrem sanctum Laurentium gerunt, magna ipsorum et populi multitudo Christi fidelium utriusque sexus ad ipsam ecclesiam, qua in celebri loco sita est, utpote in medio ipsius civitatis Veronae in via maiori et admodum insignis et nobilibus parrochianis decorata existit, devotioni causa confluant et praesertim singulis quartis feriis – id est mercurii – diebus ipsique cives existimant et inveterata devotione, cuius temporis memoria [21^v] hominum in contrarium non existit, firmiter credunt quod post obitum alicuius defuncti si prima die mercurii immediate sequuntur et postea continue per annum integrum singulis quartis feriis ad ipsam ecclesiam accederent ibidemque, finito anno, missam mortuorum cum suis orationibus et aliis ceremoniis consuetis celebrari faciunt, animam illius defuncti a poenis purgatorii liberari et ad coelestem patriam proficisci debere, sicuti etiam romani cives ad ecclesiam Sancti Laurentii extra muros almae Urbis nostrae accedentes, antiqua consuetudine et devotione, in sola prima die mercurii immediate post obitum defuncti sequuntur cum solemnibus missis in cantu celebrari facientes frequentare consueverunt ipsique cives veronenses credunt quod felicitatis recordationis Lucius papa IV praedecessor noster, qui iam tercentis et quatuor annis in dicta civitate veronensi ibique in ecclesia maiori defunctus iacet, indulgentias populo veronensi concesserit, quae tamen ob sinistros temporum eventus non reperiuntur; quare pro parte dicti Hieronymi, asserentis se dilectorum filiorum [*manca un nome*] Aloysii et Augustini etiam de Maffeis, literarum apostolicarum scriptorum et familiarium nostrorum nepotem ex patre esse nobis fuit humiliter supplicatum; quare nos, sibi [22] et populo veronensi specialem gratiam facientes illasque in sua devotione confirmantes, ex paterno confoventes affectu, ut omnes et singuli Christi fideles utriusque sexus, qui singulis quartis feriis diebus, scilicet mercurii, pro quolibet defuncto prima die mercurii immediate sequuntur dictam ecclesiam devote visitaverint et pro animabus fidelium defunctorum, qui sinceritate fidei et catholice ab hoc saeculo transierint, oraverint et missam mortuorum in cantu cum suis orationibus et officiis consuetis celebrari fecerint ad liberationem animarum fidelium defunctorum huiusmodi a poenis purgatorii et migrationis ad coelestia regna sibi prodesse et valere intelligant et credant, prout ipsi romani firmiter credunt, pro illa sola die mercurii primo sequuntur nec non quod ipsi cives et omnes utriusque sexus christifideles qui, tempore quadragesimali, singulis diebus Quadragesimae altaria ipsius ecclesiae visitaverint, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones consequantur ac si stationes praefactae urbis Romae personaliter visitarent et illi qui in dicta urbe visitant, consequantur. Nos igitur, qui dudum volumus quod literae apostolicae super indulgentiis ad instar non expedirent nisi indulgentiae huiusmodi specificarentur, cupientes ut ipsa ecclesia Sancti Laurentii pro [22^v] divini cultus augmento spiritualibus indulgentiarum privilegiis ut gratiis decoretur et populi devotio vehementius augeatur nec non a Christi fidelibus eo libentius frequentetur quo coelestis gratiae conspexerint se reflectas praefacti Hieronymi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica, tenore praesentium statuimus de coetero perpetuis futuris temporibus omnes et singulos Christi fideles qui, post obitum alicuius Christi fidelis catholice defuncti; prima die mercurii postmodum sequuntur ad praefatam ecclesiam Sancti Laurentii accesserint ibique missam mortuorum in cantu cum suis orationibus et officiis consuetis pro anima defuncti huiusmodi celebrari fecerint, eadem die ad liberationem animae ipsius defuncti a poenis purgatorii et migrationem ad

coelestia regna sibi ex aliis sic facientibus prodesse et valere quodque omnes christifideles huiusmodi qui, tempore quadragesimale, ipsam ecclesiam cum singulis eius altaribus devote visitaverint, omnes et singulas stationum almae Urbis indulgentias dicti temporis ad instar ipsarum stationum consequantur pariformiter ac si personaliter ad stationes ipsas Romae peragrassent, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituras, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac voluntate nostra [23] praedicta coeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod, si alias visitantibus dictam ecclesiam aut ad illius conservationem, reparationem, manutentionem et ornamentorum, ac paramentorum huiusmodi emptionem manus adiutrices porrigentibus aut inibi pias eleemosynas erogantibus, seu alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit huiusmodi praesentes litterae nullius existant roboris, vel momenti: nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti et voluntatis infringere, vel ei autem temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Paulli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno incarnationem Domini millesimo quadingentesimo octuagesimo octavo pridie kalendas iunii, pontificatus nostri anno IV. P. Tuba". Quod privilegium per collationem factam cum eius autographo usque ad verba *Si quis autem hoc attentare* et ab huiusmodi *verbis per reliquum ob eius antiquitatem et temporis iniuriam autographo collapsio et deficiente, per collationem factam cum alio exemplari alias ex [23] dicto autographo desumpto concordare inveni* et cetera.

His persolutis, parendo mandatis suae illustrissimae ac reverendissimae dominationis comparuerunt: reverendus dominus Ioannes Baptista Vidali sacerdos cum mandatis suorum ordinum, aetatis annorum 67; reverendus dominus Angelus Gaburro sacerdos de Palatiolo, modo de hac parrochia, cum mandatis suorum ordinum, et confessionis mense maii praeteriti ad annum concessi, aetatis annorum 60; reverendus dominus Ioannes Baptista Moccato, sacerdos annorum 31 confessarius, cum mandato diei 17 maii 1734 ad annum capellanus electus titulo patrimoniali ad officiatorum Sancti Laurentii, erectam ab admodum reverendo domino comite a Puteo, praedecessore archipresbytero huius ecclesiae suo testamento in actis domini Bernardi Franchini notarii et cetera, cui et cetera; reverendus dominus Ermenegildus Bernardi, sacerdos de Caprino, degens modo sub hac parrochia, annorum 30 circiter, cum mandatis suorum ordinum et confessionis die 18 maii 1734 ad annum concessis pro maribus et mulieribus infirmis tantum; clericus Hiacyntus Putini filius Caietani, annorum 24 circiter, in minoribus ordinibus constitutus et accolitus cathedralis ex privatis, cum suis mandatis; clericus Ioannes Baptista Giacomini filius Benedicti, habitum clericalem et acolitalem ex privatis gestans, aetatis annorum [24] 16 circiter, cum suis mandatis. Iam vero hora nimis properata, illustrissimus ac reverendissimus praesul in aedes parrochiales se recepit et quiete et parva de proprio refectiuncula defatigatas vires refecit, cum iam statuerit ne quid incommodi afferat ecclesiae vel parrochis nolle prandium; tamen admodum reverendus archipresbyter honorifice nonnulla pro eadem refectiuncula paraverat. Parumper refectus, cum dicto illustrissimo suo vicario visitationis negotiis vacavit et in primis libros parrochiales inspiciens, advertit iam per suum vicarium observatum usum baptisterii, super quo requisitus admodum reverendus dominus archipresbyter respondit, ea qua decet reverentia, nonnullas ortas inconvenientias et frequentes nobilium parrochianorum instantias aliasque rationes, quas in scriptis adducere, coegisse id facere; quapropter humiliter deprecatus est huiusmodi erectionem etiam publicam facere posse, petita venia si in aliquo defecerit pro hac privata erectione, de qua tamen et illustrissimus ac reverendissimus episcopus Gradonigo et Trevisanus praedecessores notitiam habuerunt et nihil in contrarium statuerunt. Quibus intellectis, illustrissimus et reverendissimus praesul nihil nunc deliberandum esse censuit, sed esse audiendum, reservando sibi decidere et statuere quidquid et cetera tamquam in visitatione. [24] Subinde idem admodum reverendus archipresbyter Donatus Antonius Bresavola ostendit bullas diei 22 aprilis 1721 provisionis huiusmodi beneficii, quod est liberae dispositionis illustrissimi ac reverendissimi episcopi veronensis pro tempore existentis, cessantibus reservationibus apostolicis et confertur iuxta Tridentum per concursum. Quoque praesentavit polliceas iuxta aedictum pastorale suae illustrissimae et reverendissimae dominationis, repositas per me cancellarium in fine huius libri sub littera **B**. Factis autem diligentibus perquisitionibus de vita et moribus clericorum et sacerdotum sub hac parrochia degentium vel eidem inservientium nec non suorum parrochianorum, admodum reverendus archipresbyter antedictus dedit de omnibus bona verba et nihil de quo indolere possit – Deo dante – habere fassus est. De obstetricibus interrogatus, nullam sub hac parrochia degere asseruit. Sumtis vero informationibus a fide dignis de vita, moribus et diligentia in suo munere peragendo admodum reverendi archipresbyteri praenominati, laudabiliter in omnibus et per omnia relatam fuit. Porro, convocato cum consuetis signis ad ecclesiam populo omnibusque bene dispositis, in ecclesiam descendit et sancto doctrinae christianae operi diligenter vacavit; imprimis inspexit libros et registra nec non regulas quibus utuntur in dirigendis ac edocendis pueris, qui

tantum et non puellae hic docentur [25] nec non coeteris videndis visis ad bonum regimen eiusdem operis spectantibus ad exercitium et examen eiusdem doctrinae devenit interrogari faciendo pueros, maxime circa principaliora ad aeternam salutem et bene respondentibus propriis manibus praemia ab ipsa doctrina parata conferendo et omnia bene culta inveniens, laetatus est et enixe in Domino hortatus est ut huiusmodi exercitium et sanctum et meritis [refectum] <refertum> opus omnes pro viribus omnique studio ac diligentia ad Dei gloriam et animarum salutem frequentent ac colant. Demum factis infrascriptis ordinationibus actisque Deo gratiis, praesentem suam pastorum visitationem cum psalmo *De Profundis* clausit. Admodum reverendus dominus archipresbyter ac nobiliores et scelecti viri contratae plurimas egerunt gratias et venerationis ac obsequii argumenta dederunt, humanissime ac ex animo omnibus praesul correspondendo, rhedam suam ascendit et, iisdem nobilibus deputatis associantibus ac eius familia, ad suum episcopale palatium vehitur, ubi prandium simul et coenam una cum suo vicario visitationis caeterisque ministris inservientibus sumsit et quievit. Ordinata. Fiat parva pixis argentea pro deferendo sanctissimo Sacramento ad infirmos - [25'] oleorum sanctorum locus circumvestiatur panno violaceo – portatile altaris sancti Augustini paulisper elevetur et firmetur in mensa – item portatile altaris sancti Antonii patavini paulisper elevetur et firmetur ut supra – provideatur bulla contra sollicitantes – conficiatur tabella legatorum et onerum missarum, describendo fundamenta, tempora et notarios rogantes legata ipsa, prout fieri poterit, exponenda in sacristia – conficiatur liber pro describendis missis quotidie in hac ecclesia celebratis, cum nomine et cognomine sacerdotum celebrantium tam ex obligatione, de qua specificè dicatur, quam ex devotione. Quibus habitis et cetera. Super erectione fontis baptismatis in hac parochiali Sancti Laurentii vide supplicationem die 15 octobris 1735 praesentatam, decretum permissionis die 20 decembris 1735 ac visitationem illustrissimi domini vicarii generalis et approbationem eiusdem fontis diei 19 ianuarii 1736, omnia in fine huius libri reposita sub littera **B**

[26] SANTA LUCIA EXTRA – Die dominico 5 februarii 1736. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus Ioannes Bragadenus, episcopus veronensis, comes et legitime pro hac die indicta visitatione, sua pastorali parochiali ecclesiae Sanctae Luciae extra moenia, praemissis prius duobus concionatoribus qui sacris concionibus, sacramentalibus confessionibus, catechismo aliisque piis operibus populum ad tantum munus digne recipiendum parent, secum in sua rheda assumtis nobili domino comite Ioanne Petro Porta vicario suo generali, admodum reverendo domino Iosepho Mezzanini archipresbytero Sancti Ioannis in Foro, coeremoniarum magistro ac me pro cancellario, suis familiaribus comitatus, eius palatio relicto, ad dictam parochialem Sanctae Luciae iter fecit. Extra moenia Portae Novae praesto fuit admodum reverendus dominus Sperandus Bentivoglio, parochus dictae parochialis, qui sui obsequii argumenta praestitit et sese comitem dedit. Ad primas domos progressus, militari fragore salutatus fuit et devoti populi processio occurrit, qua praeunte ad domum parochialem perventus est, ubi suam mansionem fixit. Post parum morae, vestibus longioribus induitur et, omnibus dispositis, in ecclesiam descendit. In egressu domus exhibitam sibi a reverendo domino paroco pluviali induto crucem deosculatus est et sub baldachino receptus, a sex selectis viris gestato, decantato cantico *Benedictus*, ad portam maiorem perventus accepto aspersione a reverendo paroco, aqua benedicta se signat et populum aspersit ac ab eodem paroco triplici ductu thurificatus fuit. Ante altare maius genuflexus oravit et, interim solitis decantatis, altare maius ascendit et, recitata oratione consueta, [26'] populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam de suo mandato publicatam impartitus est. Sibi paratum tronum ascendit et, indutus paramentis violaceis, assistentibus admodum reverendis dominis Nicolao Campetti archipresbytero Sancti Paulli de Campo Martio et Petro Antonio Albertini archipresbytero Sanctorum Firmi et Rustici ad Pontem Veronae, exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio absolvit. Interim illustrissimus dominus vicarius generalis visitavit coemeterium, quod in ordinatione indigere invenit. Absolutis exequiis et mutatis paramentis violaceis in paramenta alba, debita praemissis adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Sacramentum ad altare maius in tabernaculo ligneo coloribus depicto ac in pixide argentea clauso sub clavi custoditum et bene tentum. Ex factis interrogationibus comperuit animas a communione sub hac cura iacentes esse numero 500 et in totum vero numero 770 circiter nullamque – Deo favente – esse inconfessam; debitis temporibus renovari Sacramentum; dum ad infirmos deferretur praemitti signa ac indulgentias associantibus concessas publicari et in festo Corporis Christi processionaliter deferri. Pro manutentione lampadae ardentis ante sanctissimum Sacramentum communitas huius loci suppeditat bacetas 14 olei; in reliquis altare maius integre manuteneri a societate sanctissimi Sacramenti ibi erecta. Vidit baldachinum, umbellam, velum humerale, ostensorium [27] ceteraque necessaria et opportuna pro functionibus ecclesiasticis. Quibus absolutis, iterum praemissis adoratione, hymno, thurificatione, populo benedixit ac quamplurimos utriusque sexus christifidelibus propriis manibus angelicum Panem manducandum dedit. Subinde in throno sedens, se praeparat pro

sacrosancto missae sacrificio et sacerdotalibus indutus missam celebrat, in cuius celebratione infrascriptos clericos ad sequentes ordines promovit. Ad tonsuram et duos primos minores: Ludovicum Andreasi filium domini Petri De Portu, Franciscum Andreasi filium Iosephi de Portu, Ioannem Canteri filium Iacobi de Portu, Dominicum Tusinum filium Iohannis de Portu. Ad exorcistatum et accolitatum: Dominicum Fusini filium Iohannis de Portu, Antonium Scartazzi filium [manca] de Portu, Iohannem Bonetti [manca] de Portu, Dominicum Perfranceschi [manca] de Portu, Iosephum Tosoni filium [manca] de Alcenago. Praesentibus admodum dominis Iosepho Mezzanini archipresbytero Sancti Iohannis ad Forum, ceremoniarum magistro et Ioanne Francisco Paderno archipresbytero Sanctorum Clementis et Blasii Veronae testibus. Exequata missa actisque Deo gratis, in domum parrochiam se recepit et prandium sumsit. [27^v] A prandio eiusdem diei 5 februarii 1736. Illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus episcopus, iisdem assistentibus dominis archipresbyteris Sancti Paulli de Campo Martio et Sanctorum Firmi et Rustici ad Pontem Veronae dalmaticis indutis, sacramentum Confirmationis quampluribus fidelibus dicti loci et a finitimis partibus huc perventis ministravit. Interim illustrissimus dominus vicarius generalis visitavit praefatam ecclesiam curatam et altaria. Altare maius, sub titulo Annunciationis beatae Virginis Mariae ad sanctam Helisabeth, cui ecclesia est dicata et huiusmodi diei festus singulis annis colitur; est ligneum, non consecratum sed cum portatili et cum tabernaculo pariter ligneo, bene tentum; manutinetur a societate Sacramenti, piorum tamen eleemosinis cum nullos habeat redditus nec onera. Assertum fuit hanc societatem fuisse canonice erectam, sed nulla[m] extare documenta, deperdita ob iniurias et incendia illata anno 1704 ab armis exteris. Retro altare extat chorus, qui inservit pro sacristia. Altare beatae Virginis Mariae ligneum cum portatili et icone beatae Mariae Virginis ac imaginibus sancti Rochi et sancti Sebastiani nec non cum statua lignea sanctae Luciae, sub quo nomine nunc appellatur; manutinetur a societate beatae Mariae Virginis ibi – ut fuit assertum – erecta, documentis carente ex supradicta ratione bellici furoris. Haec societas habet redditus ducatorum decem, relictorum a [28] quo[n]dam domino Aloysio Verzeri sine ulla obligatione, quae pecunia modo solvitur a domino Ioanne Baptista Morosini, successore eidem Verzerio. Onus ipsi societati incumbit ut praefertur ex institutione celebrare faciendi unam missam singulo mense decantatam et duas privatas nec non faciendi officium unius missae decantatae et duarum privatarum post festum Sanctae Helisabeth, quibus per reverendum curatum, ex stipe tradita ducatorum 12.6.4 pro quoque a dicta societate, satisfit. Altare beatae Mariae Virginis sanctissimi Rosarii ligneum, cum portatili ac icone eiusdem beatae Mariae Virginis, sancti Caroli et sancti Dominici, una cum sacris mysteriis nec non statua lignea ipsiusmet beatae Virginis Mariae. Hic extat erecta societas sanctissimi Rosarii – prout fertur – canonice; nullum extat documentum ob iam dictas causas bellicarum iniuriarum. De omnibus ab ipsa societate manutinetur piorum eleemosynis, cum nullis gaudeat redditibus, nullisque sit gravata oneribus. Hoc altare erat privilegiatum pro confratribus defunctis die mortuorum, diebus infra octavam et qualibet quarta feria, cum brevi ad septennium diei 25 septembris 1728. Altare sancti Francisci Salesii cum portatili, nuper piorum eleemosynis ex marmore erectum, cum statua eiusdem sancti in arcula in medio iconis, nondum elaborati, reposita. Manutinetur piorum eleemosynis; nulla sunt onera et est bene tentum. Visitavit sacrum fontem baptismatis, in capellula rotundae formae, in calce ecclesiae a cornu epistolae repositum et sub [28^v] rastris ligneis custoditum et bene tentum. Visitavit olea sancta, in cornu evangelii sub clavi et sera servata et bene tenta. Modo percipiuntur Veronae a cathedrali vi sententiae, ut assertum fuit. Visitavit confessionale unicum, bene tentum. Vidit sugestum a cornu epistolae existens, in quo concionatur quadragesimali tempore vel a reverendo curato huius parrochialis, vel ab electo ab ipso reverendo curato, prout asseruit. Vidit organa a latere evangelii totamque ecclesiam, bene tentam nullaque reparatione indigentem. Haec ecclesia est decorata indulgentia plenaria pro visitantibus die dominico post festum sancti Francisci Salesii, cum brevi ad septennium diei 13 septembris 1729. Coram illustrissimo domino vicario generali vocatus et constitutus, reverendus dominus Sperandus Bentivoglio, curatus huius ecclesiae, ostendit mandatum episcopale pro huiusmodi cura exercenda, ad quam fuit amovibiliter electus et praesentatus a commune et hominibus huius loci die [manca]; ostendit pariter libros parrochiales baptizatorum, matrimoniorum et mortuorum ac status animarum ab anno 1707, affirmans libros ceteros ceteraque documenta huius ecclesiae deperdita et devastata fuisse tempore belli 1704 armatum exterarum. Praesentavit quoque policeas iuxta aedictum pastorale, in fine huius sub litera C repositas. Interrogatus de clero et populo, respondit recte de omnibus, nihilque [29] fassus est habere de quo – Deo dante – indoleat. His peractis, quieti se tradidit et pernoctavit. [A margine: San Francesco]. Die 6 februarii 1736 mane. Dum necessaria disponderentur pro accessu illustrissimi et reverendissimi praesulis ad ecclesiam, illustrissimus dominus vicarius generalis se contulit ad visitanda oratoria infrascripta infra limites huiusce paroeciae Sanctae Luciae existens et visitavit simplicem ecclesiam seu publicum oratorium sub invocatione Sancti Francisci infra limites parrochialis ecclesiae Sanctae Luciae, de ratione nobilis domini

Ioannis Baptistae Morosini, a quo de omnibus manuteneretur. Unicum extat altare ligneum cum icone ubi sunt depictae figurae beatae Mariae Virginis, sancti Francisci et sancti Hieronymi et cum portatili, quod invenit sine sepulcro reliquiarum. Nullum habetur onus missarum, sed – prout assertum fuit – celebratur diebus festis ex devotione et modo celebrat revrendus dominus Laurentius Zandonati, sacerdos de Cazano. Hic iacet tumulata quondam nobilis domina Livia Verzena Maurocena, prout docet lapis in medio ecclesiae positus his verbis: *Cineres nobilis dominae Liviae Verzenae Maurocenae hoc in tumulo quiescentes - filii posuere tertio nonas octobris anno Domini MDCLXXVII*. Visitavit sacristiam ecclesiae adnexam a cornu evangeli et sacras ibi suppellectiles servatas, de quibus competenter provisum invenit. [29v] Ordinata. Portatile sine sepulcro sacrarum reliquiarum removeatur et de novo iuxta mensuram canonicam provideatur et interim, donec provideatur, altare sit suspensum – altare a latere epistolae apertum claudatur – missale romanum in canone fractum sarciatur – provideatur planeta nigri coloris, ubi indiget sarciatur – provideatur tabella pro praeparatione missae ad usum celebrantis. [A margine: Santa Lucia] Visitavit simplicem ecclesiam seu publicum vetus oratorium sub titulo Sanctae Luciae, intra limites eiusdem parochialis Sanctae Luciae, a qua parum distat, de ratione venerabilis monasterii sanctimonilium Sanctae Luciae civitatis Veronae, a quo manuteneretur. Unicum ibi est erectum altare ligneum cum portatile, in quo nullum est onus missarum, sed ex devotione ipsarum sanctimonialium celebratur semel in hebdomada a reverendo domino curato, paramentis sumtis a parochiali, cum careat sacristia; ceterum pauperrime tentum. Ordinata. Fenestrae muniantur cratibus spissis (vulgo *ramate*) ad arcendas aves – studeant moniales pro viribus domum Dei melius decorare. Visitavit simplicem ecclesiam seu publicum oratorium [30] [A margine: Santissimo Nome di Maria] sub invocatione Sanctissimi Nominis Beatae Mariae Virginis, intra limites et prope ecclesiam parochialem Sanctae Luciae, de ratione societatis sancti Rainerii, ibi canonice erectae, cum venia prout ex decreto 5 octobris 1728, viso et restituto. Manuteneretur a dicta societate; unicum habetur altare marmoreum cum portatili et statua beatae Mariae Virginis super gradibus altaris. In choro autem retro altare extat icon rapresentans beatum Raimundum. Hoc in oratorio celebratur semel vel bis in mense ex mera devotione confratrum, pro qua celebratione deferuntur paramenta a parochiali, deficiente sacristia. Confratres praefatae societatis, ut supra canonice erectae et archiconfraternitati civitatis Bononiae agregatae, prout ex documento sub datum Bononiae die prima augusti 1709, huc conveniunt diebus festis ad recitandum officium beatae Mariae Virginis seseque induunt sacco albi coloris et fruuntur nonnullis indulgentiis et gratiis, vi praedictae agregationis, pro quorum cadaveribus tumulandos extat sepultura in medio ecclesiae. Factis vero debitis inspectionibus, nihil invenit ordinandum. Illustrissimus ac reverendissimus praesul necessariis...relicta domo, sub baldachino receptus ad parochialem ecclesiam se contulit et de more facta aquae benedictae aspersione in ingressum ecclesiae ...sanctissimum Sacramentum adoravit et, facta praeparatione pro sacro peragendo, missam celebravit. Qua absoluta actisque Deo optimo maximo debitis gratiis, salutari exercitio doctrinae christianae incubuit et qualis sit cultus, frequentia ac [30v] progressus per varias interrogationes pueris ac puellis factas diligenter perquisivit et – Deo dante – bene instructos invenit et huiusmodi opus statutis legibus gubernari. Subinde nonnullis utriusque sexus fidelibus Confirmationis sacramentum administravit; quibus absolutis, in aedes parochiales se recepit. Vocati comparuerunt coram et cetera nonnulli graviores viri et maiores natu huius parochiae et interrogati de vita, moribus ac diligentia in eius munere reverendi curati, optime responderunt et cum laude itemque de clero bene dixerunt. Reverendus dominus Dominicus Palamidese, sacerdos huius loci aetatis annorum 28 et ostendit sua mandata.....clericus Dominicus Manzati annorum 28 in minoribus constitutus et ostendit eius mandata. Iacoba uxor Antonii Cristofaleti obstetrix aetatis annorum 47 circiter et examinata inventa fuit bene instructa. Florina relicta domini Iosephi Botazzini annorum 80 circiter aegrota excusata fuit; sed asseruit reverendus curatus esse pariter bene instructam. Vidit demum domum parochialem, ecclesiae adnexam a latere epistolae, quae nihilo indiget. Tandem prandium sumsit et, clausa visitatione huiusmodi parochialis receptisque a reverendo curato et populo suae devenerationis et osequii argumentis in gratiarum actione, ad eius residentiam Veronae se restituit. [31] Ordinata. Pro parochiali Sanctae Luciae Extra. Provideantur quatuor fanalia pro decenti associatione sanctissimi Sacramenti ad infirmos – provideatur de canapeo decenti pro cooperienda pixide – fiat pixis parva deferenda ad infirmos – altare beatae Mariae Virginis provideatur de novo portatili iuxta mensuram canonicam et paulisper emineat super mensam – baldachinum ruinam minans deponatur aliudque erigatur decentis formae, ita latum ut mensa cooperiatur – in partitis matrimoniorum describendis exprimentur diligenter dies publicationum. Quibus habitis et cetera. Termini pro exequendis ordinatis. Quae respiciunt sacramenta termino duorum mensium exequantur; quae pertinent ad sacristiam termino quatuor mensium; cetera etiam vero saltem octo mensium.

[31^v] [OGNI SANTI] Die dominico 3 mensis februarii 1737. Illustrissimus et reverendissimus dominus Ioannes Bragadenus, Dei et sanctae apostolicae sedis gratia episcopus veronensis, comes et cetera, sanctissimi domini nostri domini Clementis divina providentia papae XII praelatus domesticus et assistens, inceptam iam annis praeteritis huius civitatis ecclesiarum ac populorum pastorem visitationem prosequi intendens, pro hac die indidit visitationem parochialis ecclesiae Omnium Sanctorum. Itaque, praemissis duobus ex reverendis patribus ordinis sancti Francisci strictioris observantiae, qui divina praedicatione aliisque devotionis ac pietatis exercitiis ad ultiores fructus recipiendos fideles excitarent, palatio suo episcopali relicto, ad praefatam parochialem, rheda vectus, una cum eius vicario generali domino Ioanne Petro comite Porta iuris utriusque doctor, cathedralis ecclesiae archidiacono, admodum reverendo domino coereconiarum magistro, me pro cancellario aliisque sacerdotibus et familiaribus suis, profectus est. Huc perventus, tormentis bellicis salutatur et devenerationis argumenta a nobilibus et deputatis contractae recepit, eisdem humanissime correspondens. Relicta rheda, sub baldachino receptus est, gestato a sex admodum archipresbyteris huius civitatis, scilicet archipresbytero Sancti Laurentii, archipresbytero Sanctae Mariae ad Fratam, archipresbytero Sancti Donati ad Columbam, archipresbytero Sancti Zenonis in Oratorio, archipresbytero Sanctorum Quirici et Iulitae et archipresbytero Sancti Michelis ad Portas et super pulvinaribus genuflexum in porta super viam publicam in coemeterium inducens paratis, oblatam sibi ab admodum reverendo domino Antonio Costanzi, eiusdem ecclesiae priore archipresbytero noncupato, ibi pluviali induto eum prestolante deosculatus est et procedens, solitis adhibitis coereconia ac thurificatione, musicali instrumentorum symphonia in ecclesiam publicam solemnem [32] habuit ingressum. Ante altare maius preces Deo fudit, consuetis interim decan<ta>tis, altare maius ascendit, titularis orationem absolvit, illud deosculatus est, populo benedixit et suam episcopalem indulgentiam de suo mandato publicatam impartitus est. Deinde thronum ascendit, a cornu evangelii sibi erectum ubi, inservientibus dalmaticis indutis admodum reverendo archipresbytero Sancti Salvatoris ad Frignanum et admodum reverendo archipresbytero Sanctorum Firmi et Rustici Curtis Altae et nobilibus dominis comite Horti et comite Moronati ad aquam praestandam pro abluendis manibus, paramentis violaceis pontificalibus induitur et tam in ecclesia quam in coemeterio ipsi ecclesiae adhaerenti preces pro defunctis absolvit. Depositis violaceis et sumtis paramentis albi coloris, praemissis adoratione, hymno et thurificatione, sanctissimum Eucharistiae sacramentum visitavit, ad altare maius in pixide argentea intus inaurata decenter custoditum et in marmoreo tabernaculo sub sera et clavi. Ad quod altare extat societas sanctissimi Sacramenti, ex cuius vetustate[m] nullum erectionis habetur documentum. Haec societas bis in anno, scilicet in Paschate et festo Omnium Sanctorum, tribuit pro altari maiori candelas sex ponderis librae unius pro quaque et pro quaque vice. Ex factis interrogationibus reperit numerari sub hac cura animas a communione 790, in totum verro 1132 nullamque – Deo dante – esse inconfessam; lampadem perpetuo accensam manuteneri ab admodum reverendo archipresbytero nec non ceras ceteraque omnia; temporibus debitis renovari Sacramentum et decore deferri ad [32^v] infirmos et pro eius decora associatione haberi umbellam, baldachinum, fanalia, vexillum, velum humerale ceteraque opportuna, quae omnia vidit; associantibus vero publicari indulgentias et consuetis signis populum convocari ad huiusmodi pium opus; tandem communicatis in Paschate distribui schedas. Praemissa iterum adoratione, hymno et thurificatione, cum sacra pixide populo benedixit et propriis manibus utriusque sexus affluenti populo eucharisticum Sacramentum paterne erogavit. Reposito Sacramento, se praeparavit pro sacro faciendo et, pontificalibus indutus, iisdem assistentibus archipresbyteris et dalmaticis indutis, missam celebravit, musicalibus instrumentis honoratus, inter cuius solemnias, servatis servandis iuxta formam pontificalis romani, legitime ad sacrum subdiaconatus ordinem promovit: venerabilem clericum dominum Iosephum Pream de Cavaleris, illustrissimum dominum filium domini Hieronymi veronensem in minoribus ordinibus constitutus, praesentibus admodum reverendo domino Iosepho Mezzanini archipresbytero Sancti Ioannis ad Forum coereconiarum magistro et reverendo domino Ioacobo Riga sacerdote veronensi, familiari dominationis suae illustrissimae ac reverendissimae testibus et cetera. Absoluta missa actisque Deo gratiis, iterum angelico Pane nonnullos utriusque sexus fideles cibavit. Subinde quamplurimos pariter utriusque sexus fideles sacro Chrismate in militia Christi confirmavit. Visitavit olea sancta, a cornu evangelii in parva marmorea capsula nucea vasisque stamnis decenter et decore sera et clavi [33] custodita. Alia in arcu pariter marmorea a cornu epistolae vidit varias sacras reliquias perantiquas sine sigillis ac documentis, quas in sua veneratione reliquit. Visitavit fontem baptismalem in calce ecclesiae cum sacrario subposito erectum, in capella sub rastris et clavi bene custoditum et bene tentum. Vidit tria confessionalia et decenter tenta invenit. Visitavit altare maius cum portatili, recenter cum eleganti tabernaculo e marmore erectum Sanctisque Omnibus dicatum, manutentum ut supra ab admodum reverendo archipresbytero, excepta memorata oblatione annua societatis Sacramentis. Altare sanctorum Innocentium,

de novo pariter ex marmore constructum cum portatili, de ratione ecclesiae, ut supra ab admodum reverendo archipresbytero manutento. Hic extat societas sanctorum Innocentium ex antiquissima erectione, sine redditibus. Vidit sanctorum Innocentium sacras reliquias ibi custoditas, quarum particulas in theca argentea sigillata cum documentis. Altare beatae Mariae Virginis, alias de ratione nobilium dominorum comitum de Hortis, modo nobilis domini comitis (Agutionis?) de Iustis cum portatili, manutentum ab admodum reverendo archipresbytero. Bis in hebdomada ex testamento quondam admodum reverendi domini Angeli de Hortis 11 maii 1681 in actis domini Donati Alexandri notarii et semel in hebdomada esse legatos quondam domini Ioannis Baptistae de Hortis, celebrat admodum reverendus archipresbyter. Alia habentur onera missarum ut in policea sub littera **D**. Altare sancti Antonii patavini cum portatili paucis ab hinc [33^v] annis piorum eleemosynis ex marmore constructum et ut supra ab admodum archipresbytero manutentum. Altare sanctissimi Crucifixi cum portatili, recenter ex marmore erectum, de ratione ecclesiae et ut [*manca*] manutentum et provisum ab archipresbytero. Vidit sacras reliquias ibi reservatas, videlicet: de ligno sanctissimae Crucis Domini nostri Iesu Christi, particulas ex ossibus sancti Petri apostoli, sancti Antonii abbatis, sancti Iuliani martyris et sancti Eustachii martyris, cum suis documentis. Vidit totam ecclesiam Omnibus Sanctis dicatam, non consecratam, bene tentam et de nihilo indigentem nec non coemeterium contiguum, pariter bene custoditum et sacristiam, bene provisam. Quibus absolutis, nimis properata iam hora, ad palatium suum episcopale se restituit, prandium cum suis familiaribus sumturus et in crastinum hanc visitationem prosecuturus. Die lunae 4 februarii 1737 mane. Illustrissimus et reverendissimus praesul antedictus ad parrochiam ecclesiam Omnium Sanctorum ut ante rheda vehitur. Eo perventus, bellicis tormentis salutatur et a nobilibus viris et deputatis eiusdem contractae ossequenter recipitur. In ianua ecclesiae recepto aspersione ab admodum reverendo archipresbytero, se signavit populumque aqua benedicta aspersit. Ante altare maius genuflexus, sanctissimum Sacramentum adoravit et praeparationem pro sacro faciendo absolvit. Sacerdotalibus indutus paramentis, missam submitte [34] peregit, iisdem nobilibus viris pro ablutione manuum inservientibus. Missa absoluta et debitis gratiis Deo redditis, saluberrimo doctrinae christianae operi paterno zelo vacavit et, factis quamplurimis interrogationibus pueris atque puellis, utrosque bene instructos invenit eisque parata dona largitus est, plurimum in Domino hortans huiusmodi sancti operis exercitium et frequentiam. Ex factis autem perquisitionibus, habuit separatim pueros in oratorio contiguo Sanctae Catharinae martyris et puellas in parrochiali ecclesia edoceri omniaque a statutis officialibus et personis deputatis iuxta regulas typis traditas cum laude regi et gubernari. [A margine: Oratorium Sanctae Catharinae martyris] Subinde visitavit simplicem ecclesiam seu publicum oratorium Sanctae Catharinae martyris, in coemeterio parrochialis praedictae Omnium Sanctorum erectum, de ratione alias contractae Omnium Sanctorum, modo vero de ratione confraternitatis sancti Ioseph per cessionem eiusdem contractae, a qua societate de omnibus manutentur. Quatuor sunt altaria, quae visitavit, videlicet: altare maius consecratum sanctae Catharinae martyris dicatum, a confraternitate praefata manutentum; est ligneum et pauperrime provisum. Retro extat chorus et ibi ianua inducens in coemeterium. Extat legatum missarum quinque in hebdomada, ex testamento quondam nobilis domini Francisci Franco diei 3 decembris 1663 in actis domini de Astolfis notarii, quas celebrat reverendus dominus Benignus Martini, loco et nomine reverendi domini Hieronymi Gervasuti, [34^v] ad eius titulum promoti, ut patet ex policea reverendi domini archipresbyteri praesentata. Altare sanctae Iustinae ligneum cum portatili, assertum fuit de ratione nobilis domini Antonii Toccolo, sed a nemine providetur et est de omnibus exutum. Ideo suspensum declaravit donec decenter provideatur. Altare beatae Mariae Virginis et sancti Ioseph euntis ad Egyptum, ligneum cum portatili, omnino destitutum et a nemine provisum; nescitur an sit de ratione alicuius, sed creditur de iure eiusdem ecclesiae. Cum sit adeo male tentum et non sit qui provideat, altare ipsum destruat: indecens enim est sic teneri. Altare sancti Ioseph lapideum cum portatili, a communitate praedicta provisum; habetur onus trium missarum in hebdomada et etiam maioris quantitatis si pinguiores contingat esse redditus, ex legato quondam Ioannis Pauli Aliprandi diei 19 iunii 1631, cuius officiatorum capellanus est reverendus dominus Ioachim Susi, ut in policea reverendi archipresbyteri praesentata. Ibi extat custodia in qua, sub tribus clavibus, una nempe penes archipresbyterum, altera apud priorem confraternitatis et altera ignoratur penes quem tute custodiatur sacra reliquia, pars scilicet cordis sancti Caroli Borromaei, in ostensorio argenteo duobus a tergo sigillis munito, recognita iam ab hac curia episcopali die 31 octobris 1708 cum documento ostenso, in quo censuit verbum *tanti numinis* corrigi debere in verbum *tanti praesulis*; quam reliquiam deveneratus est et turificavit. [35] Visitavit duas sacristias, alteram a cornu evangelii ad usum capellaniae Franco et alteram ad partem epistolae ad usum oratorii et in eis vidit sacras suppellectiles et vasa sacra. Visitavit oratorium puerorum et oratorium desuper existens, ubi conveniunt confratres eiusdem confraternitatis sancti Ioseph ad recitandum officium beatae Mariae Virginis diebus festivis. Haec societas

fuit canonice erecta anno 1626, cum capitulis approbatis ab illustrissimo ac reverendissimo domino episcopo. Assertum fuit perantiquum et ab immemorabili extare hospitale, ubi decem pauperes viduae eiusdem contratae, munitae praesentatione eiusdem reverendi archipresbyteri gratis inhabitant et regitur a deputatis contratae, qui percipiunt orea viginti duo tritici a nobilibus de Medicis, eis (pro?) reddita eiusdem hospitalis. Creditur hanc ecclesiam esse consecratam et ex altari in ipso consecrato et ex crucibus in partietibus apparentibus. In ea celebrari debent tria officia in anno missarum quindecim pro quoque, ex legato quondam reverendi domini Petri Antonii dal Moro diei 30 aprilis 1615, in actis domini Antonii Fiorio notarii, ex legato quoque diei 27 ianuarii 1571, in actis domini Modesti Mangani, quondam Camilla Falcieri reliquit hic celebrandas missas duas in hebdomada, sed modo redditus sunt ferme deperditi et adeo diminuti ita ut confraternitas non nisi ducatos 5 ab illis de Summoripis percipiat. Curet confraternitas redditus deperditos etiam via iuris recuperare et fructus praedictos in tot sacrificia impendat, ne anima testatricis [35^v] debito suffragio defraudetur. Ordinata. Altare maius sanctae Cattarinae provideatur de cerata et de tobaleis, ita ut tribus semper cooperiatur – a lateribus et retro in gradibus claudatur et obturetur – ianua retro dictum altare existens in coemeterium inducens obturetur – idem altare provideatur de candelabris ac palmis florum siccorum et decentius manuteneatur – altare sanctae Iustinae sit suspensum donec de novo portatili ad mensuram canonicam et de omnibus decenter provideatur – altare beatae Mariae Virginis procedentis in Egyptum, omnino destitutum, ob eius indecentiam destruat et solo adaequetur – custodia ad altare sancti Iosephi nova et decentior fiat pro ibi servanda sacra reliquia, pars scilicet cordis sancti Caroli Borromaei, sub tribus clavibus – ut dictum fuit – quarum tertia sit penes patrem protectorem, qui est deputatus contratae – portatile eiusdem altaris sancti Ioseph elevetur ita ut tantulum super mensam emergat – paramenta in sacristia pro officiantura Franco laudabiliter sarciantur et patena inauretur – ianua existens supra coemeterium quae privatim ducit in oratorium superius obturetur; clavis vero externa alterae ianuae in coemeterium inducentis sit penes admodum reverendum archipresbyterum. Deinde in aedes parochiales se recepit ibique, pro tribunali sedendo, factis perquisitionibus a deputatis contratae aliisque fide [36] dignis de vita, moribus ac diligentia in eius munere fungendo admodum reverendi archipresbyteri, bene et cum laude relatam fuit. Comparuit admodum reverendus dominus Antonius Constanzi, sacerdos veronensis annorum 61 circiter, archipresbyter huius parochialis ecclesiae Omnium Sanctorum et ostendit bullas pontificias Romae datum pridie nonas decembris 1714 huiusmodi beneficii, per concursum obtenti ac praesentavit policeas iuxta aedictum, repositas sub littera **D** nec non libros parochiales baptizatorum, matrimoniorum, mortuorum ac status animarum, quos visitavit et bene tentos invenit. Interrogatus de suo clero et populo, de omnibus recte respondit nihilque habere fassus est de quo conqueri possit. Exposuit subinde super sanctum Montem pietatis huius civitatis a quatuor circiter mensibus depositata fuisse scutata biscentum circiter, a domino Ioanne Marinelli et nobilibus comitibus de Carminatis prout in eius supplicatione in scriptis producta, qua reverenter petit hac in visitatione decerni scutata ipsa posse impendere in erectione parvae domus in angulo coemeterii dextera in parte ingressus, asserens id cedere in evidentem utilitatem ecclesiae et dictam partem coemeterii nunquam ad usum coemeterii fuisse et ita et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus decrevit de narratis et expositis debere se docere et sibi reservavit decernere quicquid tamquam in visitatione et ita et cetera, omni et cetera. Comparuerunt subinde infrascripti sacerdotes et clerici et eorum respective mandata et requisita ostenderunt, scilicet: [36^v] reverendus dominus Carolus Gugelmetti sacerdos, curatus huius paroeciae annorum 46 circiter; reverendus dominus Carolus Murari, sacerdos aetatis annorum 65 circiter, cum mandato confessionum; reverendus dominus Benedictus Torri, sacerdos annorum 45 circiter, aegrotus, qui sua mandata praesentare fecit; reverendus dominus Antonius Cavattoni, sacerdos annorum 60, cum mandato confessionum; reverendus dominus Antonius Zamarin, sacerdos annorum 47, cum mandato confessionum; reverendus dominus Franciscus Torfolin, sacerdos annorum 47, cum mandato confessionum; reverendus dominus Carolus Battistini sacerdos, excusatus quia infirmus; reverendus dominus Antonius Pesaro, sacerdos venetus sed beneficiatus perpetuus cum bullis in ecclesia Sanctae Mariae Consolatricis de capellania nobilium de Fracastoriis, aetatis annorum 40 circiter, cum mandato confessionum; reverendus dominus Octavius Simonati, sacerdos cum mandato confessionum; reverendus dominus Franciscus Savio, sacerdos aetatis annorum 41 circiter; reverendus dominus Bonaventura Ceneti, sacerdos asnnorum 43 circiter; reverendus dominus Benignus Montini, sacerdos annorum 51 circiter; reverendus dominus Antonius Fasanato, sacerdos annorum 40 circiter; reverendus dominus comes Balthassar Horti, sacerdos aetatis annorum 26 circiter; reverendus dominus Andreas Braga, sacerdos veronensis annorum 27 circiter; [37] reverendus dominus Stephanus Franchini, sacerdos annorum 26 circiter; reverendus dominus Iacobus Zenegaglia, sacerdos annorum 24 circiter; reverendus dominus Petrus Locatelli, sacerdos annorum 32 circiter, cum mandato confessionum; venerabilis clericus Ioseph Turini, diaconus aetatis annorum 23 circiter;

venerabilis clericus Ioseph Viviani, in primis duobus minoribus constitutus, aetatis annorum 25 circiter. Vidit domum parochialem et, his absolutis, cum gratiarum actione deveneratus, ad suum episcopale palatium se restituit.

[A margine: SAN BARTOLOMEO] Die iovis 7 mensis februarii 1737. Pro hac die omnibus praemissis solitis praemittendis nec non, ad uberiores fructus, praemissis quoque duobus ex reverendis sacerdotibus congregationis sancti Philippi Neri ad sanctimonialia qui eas instruerent et earum animos ad percipienda bona visitationis pia caritate disponerent pastorali sua visitatione ad ecclesiam sanctimonialium Sancti Bartholomaei a Levata huius civitatis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, una cum nobili domino Augustino a Vico iuris utriusque doctore, praeposito cathedralis veronensis et eius vicario monastico, me procancellario eiusque coereemoniarum magistro ac suis familiaribus, quadriga vectus, ad dictam ecclesiam se contulit. Qui approprians tormentis bellicis ac campanarum sonitu salutatur. [37] Perventus vero, sub baldachino, prout de more, a sex admodum reverendis dominis Sancto Ruzenente archipresbytero Sancti Salvatoris ad Frignanum, Donato Antonio Bresaola archipresbytero Sancti Laurentii, Angelo Caravana archipresbytero Sanctae Mariae ad Fratam, Hieronymo Coloti archipresbytero Sancti Zenonis in Oratorio, Octavio Rosa Morando archipresbytero Sanctorum Firmi et Rustici, A. Stephano Zamperini archipresbytero Sancti Michaelis ad Portas superpelliceis indutis, receptus fuit ad portam exteriorem super viam publicam ibique super pulvinaribus paratis genuflexus, deosculatus est crucem sibi oblatam ab admodum reverendo domino Nicholao Emendadori confessario ordinario, pluviali induto. Inde processionaliter ad ecclesiam per consuetas coereemonias processus est ad eamque solemniter ingressus est, facta prius ante eius ianuam aspersione et recepto thurificationis honore a praedicto confessario monialium. Ante altare maius genuflexus, sanctissimum Sacramentum adoravit et, absolutis consuetis antiphona et versiculis, altare ascendit eoque deosculato, populo benedixit et suam episcopalem indulgentiam impartitus est. Tronum sibi paratum ascendit ibique indutus ...admodum reverendis dominis Antonio Costanzi archipresbytero Omnium Sanctorum et Octavio Rosa Morando archipresbytero Sanctorum Firmi et Rustici de C. A. dalmaticis indutus paramentis violaceis ... fuit et, omnibus opportune dispositis, preces pro defunctis persolvit. Violaceis dimissis et sumtis postea paramentis albis, praemissis [38] adoratione, hymno et thurificatione, sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in pixide argentea inaurata et tabernaculo marmoreo honorifice custoditum, visitavit. Lampas ante Sacramentum die noctuque ardet, expensis monialium [quam]<quae> manutent ipsaeque de omnibus aliis necessariis altare et ecclesiam provident; decenter vero et honorifice sanctissimum Sacramentum ad infirmos a reverendo confessario defertur, monialibus associantibus processionaliter. Capellanus monialium est reverendus dominus Octavius Simonati, sacerdos probatae vitae ac morum. His absolutis, populo cum Sacramento benedixit eoque reposito ad tronum reversus est ibique sacerdotalibus indumentis vestitus fuit et, assistentibus praefatis archipresbyteris, sacrosanctum missae sacrificium peregit. Qua completa, pluviali recepto et sacra pixide ad ostiolum a reverendo confessario ordinario delata propriis manibus moniales et puellas in educatione ibi receptas sacra communione refecit. Deinde ... utriusque sexus christifideles Confirmationis sacramento ... roboravit et Deo optime maximo gratias egit. Dimissis autem antedictis archipresbyteris assistentibus in omnibus praefatis functionibus cum eius vicario monastico, visitavit altare maius, in mensa et gradibus marmoreum, divo Bartholomaeo dicatum, cum portatili et icone celebri, de [38] omnibus monialibus manutentum, bene provisum et honorifice ornatum. Altare sanctae Appoloniae, item in mensa et gradibus marmoreum cum portatili, ubi extat fenestella cratibus munita, prospiciens in ecclesiam interiorem seu chorum sanctimonialium. A lateribus eiusdem altaris habetur ostiolum a communione marmoreum et fenestella cum rota pro servitio ecclesiae, quae visitavit. Altare est perpolite tentum, bene provisum et a sanctimonialibus manutentum. Altare beatae Mariae Virginis, marmoreum cum portatili et icone in muro picto et statua beatae Mariae Virginis ex ligno sculpta vestibus sericis induta; manutentur a monialibus et est bene provisum. Visitavit sacristiam in fine ecclesiae sistens, ubi tamen ferme nullae sacrae suppellectiles extant, cum intus a monialibus in monasterio servantur. Haec ecclesia non est consecrata et intro respicit viam publicam nisi intermediis curte et transitu. Celebratur in ea festum sancti Bartholomaei titularis et etiam festum sanctae Appoloniae. Ordinata. Ianua tabernaculi ampliores in formam aliquantum redigatur ita ut pixis commodius et tutius extrahi et reponi possit - [39] eiusdem tabernaculi ianua panno serico albo intus vestiatur – ostiolum a communione, cum sit nimis latum, in formam sobrietiores laudabiliter redigatur – ad idem ostiolum, dum Eucharistiae sacramentum monialibus ministratur, duo ardeant lumina ex cera – conficiatur liber et in sacristia servetur pro registrandis missis in hac ecclesia celebratis, cum nominibus et cognominibus celebrantium – fiat sacrarium et scamnum reducatur in armarium. Quibus absolutis, exteriorem huius ecclesiae suam pastoraalem visitationem complevit, differens visitationem monialium et

monasterii in aliud tempus et, salutatis ad crates collocutorii admodum reverendis abbatissa et priorissa, ad suum episcopale palatium, prandium sumpturus, se restituit. Die dominico a prandio decimo mensis februarii 1737. Comes illustrissimus et reverendissimus dominus episcopus se contulit ut ante ad monasterium Sancti Bartholomaei a Levata, personalem sanctimonialium visitationem habiturus et una simul cum eius vicario monastico antedicto, ad fenestellam collocutorii sedendo vocatis sanctimonialibus singulariter singulas moniales appellavit et circa disciplinam monasticam [39^v] ac regulae observantiam et circa gubernium monasterii easque paterno amore audivit, monuit et consolatus est. Sed iam properata hora, omnes audire non valens, in crastinum distulit et eius adventum indicavit et ad suum palatium episcopale reversus est. Die lunae mane 11 mensis februarii 1737. Illustrissimus et reverendissimus praesul, suam ut ante inceptam personalem sanctimonialium visitationem completurus, ad venerabile monasterium Sancti Bartholomaei a Levata ut supra iter fecit et in parlatorio una cum suo vicario monastico se recipiens, ad fenestellam – ut dictum fuit – reliquas sanctimoniales singulariter singulas examinavit, benigne audivit, hortatus et consolatus est. Personali sanctimonialium visitatione absoluta, monasterii visitationem die 13 currentis mensis statuit et ad suum episcopale palatium, prandium sumpturus, se restituit. Die mercurii a prandio 13 mensis currentis 1737. Idem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, suam pro hac die statutam visitationem prosequitur, praedictum Sancti Bartholomaei monasterium adivit. Quo perventus, ecclesiam exteriorem ingressus est, facta prius in limine ecclesiae aquae benedictae aspersione, aspersione accepto ab admodum reverendo confessario ordinario, superpelliceo et stola induto et, absoluta brevi oratione ante sanctissimum Sacramentum, loca exteriora singulatim visitavit, scilicet confessorium cum unica fenestella crate [40] ferrea et tela bene munita et cum unica rota, omnia collocutoria et in eis rotas et fenestellas cratibus fixis ferreis munitas; locum nuncupatum factoriae ac cetera loca exteriora, muros monasterii circumdando. Subinde ad portam monasterii se conferens illaque aperta, ibi sanctimoniales ordinate dispositas, velatas ac genuflexas praesentes habuit, quibus benedixit statim ac monasterium ingressus, secum sumptis vicario suo monastico, coereemoniarum magistro, me procancellario et duobus suis familiaribus, clausa fuit ianua et suae illustrissimae ac reverendissimae dominationi traditae fuerunt claves. A sanctimonialibus obsequentissime receptus, quas a velatione dispensavit ac ab admodum reverendis abbatissa et priorissa associatus, ecclesiam interiorem petiit, ubi facta brevi oratione, nonnullas sacras reliquias super altare dispositas visitavit, scilicet: sacram reliquiam sancti Bartholomaei apostoli in theca argentea repositam et in curia episcopali die 25 februarii 1710 recognitam; ascrum reliquiam sanctorum Christi martyrum Magni, Candidi et Innocentii, in urna inaurata clausas ac per curiam episcopalem die 4 augusti 1699 recognitas; sacras reliquias sanctorum Christi martyrum Urbani, Vitalis et Valentinae, in urna nigro colore depicta et argento elaborato et circumornatas, intus clausas et per curiam episcopalem sub publico documento diei 26 maii 1730 recognitas. [40^v] Visitavit oleum infirmorum, in loculo marmoreo ad hoc parato tentum et custoditum. Vidit ostiolum a communionem, quod nimis latum inspexit et iam supra ordinavit laudabiliter restringi; vidit quoque rotam. Visitavit locum contiguum sacristiae, ubi sacrae suppellectiles servantur, tam ad ornatum quam pro celebratione missae et divinis officiis peragendis, de quibus monasterium abundat et est ditissime provisum et sunt perpolite servatae et custoditae. Visitavit omnia collocutoria interiora et ibi rotas et fenestellas, bene tentas. Visitavit refectorium, ubi servatur silentium, lectura, ieiunium et cibus iuxta regulam sancti Benedicti, quam moniales providentur. Vidit omnia loca inferiora: hortum, curtes, claustra, cellas vinarias et alia loca. Vidit loca superiora: confessorium, chorum superiorem cratibus minutum, dormitoria, cellas monialium, orea, campanile aliaque loca. Vidit locum scriptoriae sive archivium, ubi scriptorissa libros et scripturas iam paratas ostendit et exhibuit atque, parendo iussibus suae illustrissimae et reverendissimae dominationis, praesentavit polliceas, in fine huius libri sub littera E repositas. Properata iam hora, suam visitationem intermisit, in aliud tempus illam clausurus diferens. Relicto monasterio, ipso praesente clausa intus ianua, ad eius episcopale palatium reversus est. [41] Ordinata. Foramina rotarum nimis ampla angustiosem in formam reducantur – provideatur bursa violacei coloris pro servando oleo infirmorum – ostensorium aptetur et firmetur in lunula.

[SANTA LUCIA] Die dominico mensis februarii decimo septimo anni 1737. Illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus episcopus, suam – o mnibus ut ante opportune premissis – pro hac die indictam visitationem habiturus, una cum suo illustrissimo domino vicario monastico, admodum reverendo domino archipresbytero Sancti Ioannis in Foro, coereemoniarum magistro, me procancellario suisque familiaribus, quadrigis vectus, ad ecclesiam sanctimonialium venerabilis monasterii Sanctae Luciae huius civitatis iter suum direxit. Eo appropinquans, tormentis bellicis salutatus fuit; perventus vero, obvios habuit sacerdotes et clericos superpelliceis indutos ac reverendum dominum Franciscum Orlandi confessarium ordinarium pluviali indutum, cum cruce et ante ianuam exteriorem genuflexus, sibi oblatam crucem a dicto

confessario deosculatus est. Sub baldachino vero receptus, a sex admodum reverendis archipresbyteris sanctae Congregationis superpelliceis indutis gestato, scilicet: admodum reverendo domino Dominico Toresella archipresbytero Quintiani, domino Hieronymo Colotti archipresbytero Sancti Zenonis in Oratorio, domino Francisco Basso ex archipresbytero Sanctae Mariae Insularis, domino Ioepho Semerebono archipresbytero Sancti Ioannis in Valle, domino Stephano [41^v] Zamperini archipresbytero Sancti Michaelis ad Portas, domino Nicolao Pisetta archipresbytero Sancti Faustini, cum solito hymno *Benedictus* et cetera decantato, ad ecclesiam progressus est, in cuius limine accepto aspersione a dicto reverendo confessario ordinario, se signavit et aqua benedicta populum aspersit receptoque ab eodem confessario thurificationis honore, ecclesiam solemniter ingressus est. Ante altare maius genuflexus, paulisper oravit et per solitas caeremonias altare ascendit et, recitata oratione titularis eoque deosculato, populo benedixit et suam episcopalem indulgentiam de suo mandato publicatam impartitus est. Ad thronum perventus sibi a cornu evangelii paratum, admodum reverendis domino Antonio Costanzi archipresbytero Omnium Sanctorum et domino Octavio Rosa Morando archipresbytero Sanctorum Firmi et Rustici C.A. in dalmaticis inservientibus, pontificalibus violacei coloris indutus fuit et preces pro defunctis absolvit in ecclesia et coemeterio contiguo, quod inservit – ut assertum fuit – tempore contagionis, sed modo nullus est usus. Sumtis subinde paramentis albi coloris, praemissis adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, ad altare maius in tabernaculo marmoreo et pixide argentea intus inaurata custoditum et sub clavi argentea tute servatum, quod debitis temporibus renovatur et, dum ad infirmas defertur, debito decore et devotione associatur. Delato subinde sanctissimo Sacramento a reverendo confessario ordinario, ad ostiolum communionis ipse illustrissimus et reverendissimus praesul [42] propriis manibus sanctimoniales et puellas ibi in educatione existentes communicavit. Porro ad thronum reversus, pontificalibus indutus fuit et, praefatis admodum reverendis archipresbyteris assistentibus, sacrosanctum missae sacrificium peregit. Inter vero missarum solemnias, solitis adhibitis ritibus et caeremoniis a pontificali romano traditis servatisque servandis, ad sacrum presbyteratum ordinem infrascriptum clericum de legitimo matrimonio ratum, in aetate debita constitutum, habilem et idoneum iudicatum ceterisque debitis requisitis suffultum promovit et ordinavit in presbyterum: venerabilem clericum diaconum dominum Iosephum Pream, iuris utriusque doctorem veronensem, praesentibus admodum reverendo domino Iosepho Mezzanini archipresbytero Sancti Ioannis in Foro caeremoniarum magistro, reverendo domino Iacobo Riva familiari suae illustrissimae et reverendissimae dominationis, sacerdote veronensi et me procancellario Petro Maria Regazzoni archipresbytero item veronensi et cetera, testibus. Absoluta missa, Confirmationis sacramentum nonnullis utriusque sexus christifidelibus administravit actisque Deo optimo maximo gratiis et in collocutorio salutatis admodum reverendis matribus abbatissa et priorissa, ad suum episcopale palatium prandium sumpturus reversus est. Die martis mane 19 februarii 1737. Idem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad ecclesiam Sanctae Luciae venerabilium monialium eiusdem Sanctae Luciae ut ante venit, suam [42^v] prosecuturus pastorem visitationem. Eo perventus, aquae benedictae in limine ianuae ecclesiae aspersione facta, ab admodum reverendo confessario ordinario superpelliceo et stolla induto aspersione oblato, ante altare maius genuflexus, sanctissimum Sacramentum adoravit et unius ex suis capellanis missam audivit. Subinde, rochetto et stola indutus, suae visitationi vacavit huius ecclesiae exterioris venerabilis monasterii monialium Sanctae Luciae, quae divae Luciae est dicata et est consecrata – prout fertur – cuius consecrationis festum colitur die 6 mensis aprilis; est perpolitata et quinque componitur altaribus, quae visitavit, scilicet: altare maius, eleganter ex marmoribus collustratis ampla modernaque in forma recenter aedificatum, cum tabernaculo item marmoreo et cum portatili, divae Luciae dicatum, a sanctimonialibus de omnibus manutentum et decenter provisum et ornatum. Ibi nonnullas vidit sacras reliquias, quarum nomina ignorantur et eas in sua veneratione reliquit. Altare resurrectionis Domini nostri Iesu Christi ligneum cum portatili, a sanctimonialibus ut antea de omnibus provisum. Altare sancti Antonii patavini, pariter ligneum cum portatili et ut supra a monialibus manutentum. Altare flagellationis Domini nostri Iesu Christi ligneum cum portatili, alias de ratione dominorum de Fortis, sed ab iisdem omnino destitutum et a monialibus de omnibus provisum et manutentum. Est privilegiatum pro monialibus qualibet sexta feria cuiuslibet hebdomadae. [43] Altare beatae Mariae Virginis ligneum cum portatili, de ratione eiusdem venerabilis monasterii, a quo ut cetera altaria manutentur. Vidit fenestellam et ostiolum a communionem nec non rotam ad usum sacristiae. Vidit quoque confessionalem, de licentia admodum reverendi archipresbyteri pro excipiendis sacramentalibus confessionibus fidelium, hic cum magno concursu die festo sanctae Luciae accedentium aliisque diebus devotionis gratia. Vidit sacristiam contiguam, a latere epistolae erectam, ubi tamen non servantur sacrae suppellectiles, sed penes moniales in monasterio. In hac ecclesia assertum fuit extare societatem perantiquam sanctae Luciae, sine redditibus tamen et sine oneribus. Vidit

totam ecclesiam et coemeterium antiquum, quod ad praesens nullius est usus. Peracta visitatione ecclesiae, visitationi personali sanctimonialium una cum suo vicario monastico incubuit et singulariter singulas ad crates confessarii vocatas examinavit et paterna omnes caritate audivit, eas hortando adloquendo et consolando. Quibus absolutis, facta hora tarda, ad aedes suas episcopales se restituit et prandium sumsit. Ordinata. Ianua tabernaculi vestiatur intus panno serico albo. [43^v] Die mercurii a prandio 20 februarii 1737. Interiorem monasterii visitationem acturus, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, cum suo vicario monastico suisque familiaribus, ut antea monasterium Sanctae Luciae petiit. Imprimis vero ecclesiam exterioriorem ingressus est et, facta brevi oratione, visitavit omnia loca exteriora, scilicet collocutoria, fenestellas, crates et rotas ac muros clausurae eiusdem monasterii. Subinde, secum sumtis illustrissimo suo vicario monastico, coeremoniarum magistro, confessario ordinario, me procancellario paucisque suis familiaribus, aperta ianua monasterii, ibi praesentes per ordinem dispositas genuflexas ac velatas moniales omnes habuit, quibus benedixit et eas a velatione dispensavit. Ingressus monasterium et sibi clavibus ianuae traditis, associatus ab admodum reverendis abbatissa et priorissa, ad ecclesiam interiorem, ubi paulisper oravit et visitavit fenestellam a communione et rotam nec non sacras suppellectiles et vasa sacra ceteraque opportuna tam pro missa et divinis officiis peragendis quam pro ornatu ecclesiae, omnia laudabiliter tenta. Moniales ... sunt numero 20, a velo albo 10 numerantur et regulam sancti Benedicti profitentur. Visitavit loca inferiora, scilicet: refectorium ubi ieiunia, silentium et lectio iuxta regulam servantur; laboratorium, cellas vinarias, coquinas, hortos, spatia, collocutoria, fenestellas et rotas ac cetera loca inferiora. [44] Visitavit loca superiora, videlicet: chorum superiorem in ecclesiam prospicientem, cratibus ligneis munitum, dormitoria monialium et dormitorium educandarum separatum ac singulas cellas, speculas, horrea et campanile ceteraque loca superiora. Vidit locum confessorii, locum novitiatu, capsam depositorum et archivium ubi reverenda mater scriptorissa ostendit libros et scripturas et recentes et perantiquas ac, parendo mandato suae illustrissimae et reverendissimae dominationis, praesentavit polliceas, in fine huius libri repositas sub littera F. Quibus absolutis, sua monialibus benedictione impartita et clausa, ipso adstanti, ianua monasterii, ad suum episcopale palatium reversus est.

[A margine: SAN BARTOLOMEO] Die prima februarii 1731. Suam pastorem visitationem tam venerabilis monasterii Sancti Bartholomaei quam ecclesiae monasterii Sanctae Luciae huius civitatis clausurus, illustrissimus ac reverendissimus praesul antedictus ut ante se contulit et ad venerabile monasterium Sancti Bartholomaei in loco exteriori scriptoriae se recepit; ibi ad fenestellam vocatis admodum reverendis abbatissa et priorissa, cum ipsis paterne habuit sermonem, quem et habuit ad omnes moniales coram se vocatas, quibus mihi procancellario iussit publicare decreta infrascripta et eorumdem copiam admodum reverendae matri abbatissae tradere pro bono regimine monasterii. Vocatis quoque puellis educandis, in hoc monasterio existentibus, [44^v] illas de doctrina christiana interrogavit et bene instructas invenit; huiusmodi vero sancti operis tam proficuum exercitium plurimum in Domino commendavit. Sua pastorali et paterna benedictione illis impartita, ad ecclesiam exterioriorem accessit et cum *De Profundis* suam huius monasterii visitationem clausit et absolvit. Subinde ad monasterium Sanctae Luciae progressus est.

Decreta – ut supra – publicata et tradita sunt tenoris infrascripti videlicet. Giovanni Bragadino, per la Dio grazia e della santa sede apostolica vescovo di Verona, conte et cetera, della santità di nostro signor papa Clemente XII prelato domestico ed assistente et cetera. Alle dilette nel Signore le reverende madri abbadessa e monache del detto monasterio di San Bartolomeo della Levà di Verona salute ed obediencia et cetera. Avendo noi nell'occasione della nostra visita episcopale fatta in questo venerabile monasterio ne' giorni passati rilevata bensì l'esemplarità di costumi e la religiosa vita e bontà delle monache, ma ancora il bisogno di provvedere a tutto ciò che possa deviarle dalla buona regola del monasterio medesimo, a maggior gloria di Dio e pace delle monache stesse, abbiamo stabilito le seguenti ordinate, che dovranno esser inviolabilmente osservate. Primo - Che in avvenire non si facciano imprestanze di sacre suppellettili, argenterie o altre cose della chiesa o monasterio, come viene dalle costituzioni anche de predecessori nostri [45] al numero 17 pagina 30 comandato, né meno imprestatato danaro a chi che sia, sotto qual si voglia titolo o colore. 2° - Che le doti decretate dalle costituzioni episcopali siano realmente pagate ed esborsate in danaro contante al tempo della professa, da investirsi cautamente e non sia fatta alcuna fraude o finzione, poichè in tal caso, ch'è di tanto rimarco e danno ai monasterii, passeremo a quelle pene più rigorose che a noi pareranno per rimediare a così grave disordine, che porta seco la rovina del pubblico bene dei monasteri, dovendo essere presentati gli istrumenti così di deposito come de pagamenti delle medesime doti avanti il vestiario e professa conforme le costituzioni al numero 31 pagina 39. 3° - Che non sia ricevuta alcuna in educazione nova, vestiario e professa se prima non saranno state concesse in tempo opportuno e rilasciate le dovute licenze dalla cancellaria nostra, come pure non dà l'uscita ad alcuna del monasterio senza la previa licenza ricevuta dalla

cancellaria nostra in scritto e presentata alla reverenda madre abbadessa. 4° - Che li parlatori siano chiusi a norma delle costituzioni, eccettuato il parlatorio commune e le chiavi di essi debbano stare presso la reverenda madre abbadessa; concedendo licenza alla madre abbadessa in ordine alle di lei istanze di far dilatare le due fenestre del parlatorio vicino al parlatorio grande e ridurle simili a quelle dello stesso parlatorio grande, con che siano munite con doppia grada e nella forma che sarà presentata dal vicario nostro, restando però proibiti alle |45^v| monache ricever visite alle porte del monastero. 5° - Che siano rinnovate le ruote tanto del parlatorio sudetto contiguo al parlatorio grande, quanto quella della chiesa in forma regolare e canonica, con un solo picciolo foro. 6° - Che le educande non vadino a parlatorii senza le loro madri custodi e modestamente vestino ed osservino le leggi della clausura. 7° - Che non possano introdurre in clausura alcuna persona per qualunque titolo o causa fuori di quelle descritte nella licenza a stampa o senza particolar licenza nostra o del nostro vicario; e quelli che con licenza nostra, come sopra, fossero introdotti siano sempre accompagnati da due discrete. 8° - Che nelle ballottazioni di qualunque sorte non si dia il proprio voto in altrui mano, ma cadauna balloti personalmente e sodisfaccia la propria coscienza e, quando vi fosse qualche monaca inferma, vadino due delle discrete a ricevere il suo voto con le bussole consuete o si dia sigillato a chi presiede alla ballottazione. 9° - Che le monache dormir debbano da sole a sole nella propria cella né vadino a dormire in cella d'altre. 10° - Il luogo già incominciato per le educande sia terminato e ridotto a perfezione in forma abitabile nel termine di mesi sei, ove poscia siano collocate le figliuole giusta le costituzioni. 11° - Che il luogo asserito che serve pel noviciato, essendo poco confacente al bisogno per l'abitazione delle novizze e loro |46| maestre sia accomodato in forma o si trovi altro luogo opportuno per uso delle medesime, da esser da noi veduto e approvato. 12° - Che tanto per le educande quanto per le novizze ogn'anno siano elette una maestra e una sottomaestra rispettivamente per le medesime al tempo degli uffici. 13° - Le chiavi della stanza sotto il tetto che guarda sopra la strada del corso stiano sempre custodite in mano della madre abbadessa. 14° - Che non siano tenute galline in particolare de alcuna monaca, ma tutte siano a commodo universale del monasterio in luogo a ciò deputato, a norma delle costituzioni numero 5 pagina 8. 15° - Che non siano date recognizioni straordinarie ed eccessive in pregiudizio del monasterio ed ogni sorte di danaro che potesse pervenire in mano delle monache debba esser riposto nella cassa del deposito a norma delle costituzioni. 16° - Osservata la quantità de residui che restano da rascuotersi de livelli e censi in detrimento notabile del monistero, restano incaricate la madre badessa e scrittora a dover far agire da chi s'aspetta contro li debitori senza alcun riguardo per esiggere ciò ch'è di giustizia a beneficio del monistero per le sue quotidiane indigenze. 17° - Che non sia celebrata messa nella loro chiesa da alcun sacerdote o regolare o secolare senza licenza nostra o del vicario nostro per qual si voglia occasione. Quanto di sopra abbiamo stabilito e decretato ordiniamo che resti con prontezza pienamente adempito a divertimento |46^v| d'ogni sconcerto che potesse pregiudicare alla monastica disciplina, al beneficio del monistero ed alla vostra reciproca quiete e religiosa osservanza. Dato nella pastoral nostra visita li 21 febbraio 1737. Giovanni vescovo di Verona.

[A margine: SANTA LUCIA] Eadem die 21 februarii 1737. Relicto venerabili monasterio Sancti Bartholomaei a Levata, illustrissimus et reverendissimus praesul antedictus ad venerabile monasterium Sanctae Luciae pervenit et in collocatorio, una cum suo illustrissimo domino vicario monastico, se recepit, ubi paratos libros monasterii inspexit et examinavit. Vocatis vero admodum reverendis abbatissa et priorissa, cum ipsis in primis et subinde cum omnibus monialibus paterne allocutus est ac pro bono regimine monasterii mandavit mihi pro cancellario decreta infrascripta publicare et copiam tradere. Vocatis subinde puellis educandis in hoc monasterio receptis, illas de doctrina christiana expertus est et bene instructas invenit, commendans tamen plurimum in Domino huiusmodi opus animarum saluti tam necessarium. Post haec ad ecclesiam exteriorem venit ibique recitato *De Profundis*, suam absolvit et clausit visitationem et ad suum episcopale palatium se restituit.

Decreta ut supra promulgata sunt tenoris infrascriptis, videlicet. Giovanni Bragadino, per la Dio grazia e della santa sede apostolica vescovo di Verona, conte et cetera, della santità di nostro signore papa Clemente XII |47| prelado domestico ed assistente et cetera. Alle dilette nel Signore le reverende madri abbadessa e monache del venerabile monistero di Santa Lucia di Verona salute et obediencia et cetera. Ordiniamo che si facci un nicchio decente da porvi e custodirsi sotto chiave le reliquie che ora esistono nel nicchio unitamente all'oglio santo nel coro superiore delle reverende monache e a carattere rotondo vi si scriva sopra *Sacrae Reliquiae*; con tal carattere si scriva ancora sopra il nicchio dell'oglio santo *Oleum Sanctum*. A conservazione poi sempre più della pace e vicendevole carità, con nostra consolazione trovata fiorire tra le madri di questo venerabile monistero, a beneficio del publico bene del monistero stesso e a gloria sempre maggiore di Dio, qui ripetiamo e ripetendo comandiamo quanto abbiamo ordinato nella visita al venerabile

monistero di San Bartolommeo sotto li numeri 2.4.8.16.17, da prontamente eseguirsi ed inviolabilmente osservarsi, cioè: Che le dotti decretate dalle costituzioni episcopali siano realmente pagate ed esborsate in danaro contante al tempo della professa, da investirsi cautamente e non sia fatta alcuna fraude o finzione, poiché in tal caso, ch'è di tanto rimarco e danno ai monisteri, passeremo a quelle pene più rigorose che a noi pareranno per rimediare a così grave disordine, che porta seco la rovina del publico bene dei monisteri. Dovendo esser presentati gl'istrumenti così di deposito come di pagamenti delle medesime avanti il vestiario e professe conforme le costituzioni al numero 11 pagina 39. [47^v] Che li parlatori siano chiusi a norma delle costituzioni, eccettuato il parlatorio commune e le chiavi di essi debbano stare presso la madre abbadessa, restando proibito alle monache ricever visite alle porte del monistero. Che nelle ballottazioni di qualunque sorte non si dia il proprio voto in altrui mano, ma cadauna balloti personalmente e sodisfaccia la propria coscienza e, quando vi fosse qualche monaca inferma, vadino due delle discrete a ricevere il suo voto con le bussole consuete o si dia sigillato a chi presiede alla ballottazione. Osservata la quantità di rasidui che restano da rascuotere di livelli e censi in detrimento notabile del monistero, restano incaricate la madre abbadessa e scrittora a dover far agire da chi s'aspetta contro li debitori, senza riguardo per esiggere ciò ch'è di giustizia a beneficio del monistero per le sue quotidiane esigenze. Che non sia celebrata messa nella loro chiesa da alcun sacerdote o regolare o secolare senza licenza nostra o del vicario nostro in qual si voglia occasione. Dato nella pastoral nostra visita li 21 febbraio 1737. Giovanni Vescovo di Verona.

[48] [A margine: SANCTI ZENONIS IN ORATORIO] Die dominico 17 mensis martii 1737 mane. Pro hac die per solita edicta ac instructiones ad admodum reverendum archipresbyterum transmissa pastorali visitatione intimata omnibusque opportune dispositis praemissisque duobus ex reverendis patribus reformatis missionum apostolico munere fungentibus, illustrissimus et reverendissimus in Christo pater et dominus dominus Ioannes Baragadenus episcopus veronensis, una cum nobili et reverendissimo domino comite Ioanne Petro Porta iuris utriusque doctore, archidiacono cathedralis ac eius vicario generali, me procancellario, coeremoniarum magistro aliisque suis familiaribus, ad parochialem ecclesiam Sancti Zenonis in Oratorio eam visitaturus, quadriga vectus, iter fecit. Cum non procul distaret, bellicorum tormentorum frequenti explosione honoratur; eo vero perventus, a dominis deputatis contratae aliisque nobilibus viris nec non ab admodum reverendo archipresbytero ac clero humiliter deveneratus est; subinde, receptus sub baldachino, quod sex gestarunt confratres sacrae congregationis Cleri intrinseci Veronae, videlicet: admodum reverendi archipresbyteri Sancti Donati ad Columbam, Sanctorum Clementis et Blasii, Sancti Ioannis in Fonte, Sanctorum Firmi et Rustici de Curte Alta, Sanctorum Faustini et Iovitae [48^v] ac Sancti Michaelis ad Portas, deosculata cruce super stratis pulvinaribus genuflexus, ab admodum reverendo domino Hieronymo Collotti iuris utriusque doctore, huius ecclesiae archipresbytero porrecta, clero praecedente ac canticum *Benedictus* decantante, processionaliter ecclesiam ipsam adivit, in cuius limine sistens thurificationis honorem a dicto presbytero recepit receptoque aspersione ab ipso tradito, adstantem populum aqua benedicta aspersit ac solemniter inter musicalium instrumentorum synfonias ecclesiam ingressus est. Ante altare maius provolutus, sanctissimum Sacramentum adoravit illudque ascendit ex quo, consuetis absolutis antiphonis ac orationibus, populo benedixit et suam episcopalem indulgentiam, de suo mandato publicatam, impartitus est. Ad thronum sibi paratum venit et, assistentibus in dalmaticis admodum reverendis archipresbyteris ecclesiarum Omnium Santorum et Sancti Laurentii, pontificalibus violacei coloris indutus fuit ac exequias defunctorum in ecclesia et coemeterio eidem adhaerenti persovit, quod coemeterium illustrissimus dominus vicarius generalis visitavit. [49] Subinde, violaceis vestibus exutus albisque indutus, hymno, thurificatione atque adoratione praemissis, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, quod invenit ad altare maius in tabernaculo marmoreo et pixide argentea intus inaurata sub sera et clavi tute servatum. Ex factis interrogationibus, cognovit sub hac cura animas in totum numerari 700 circiter, quarum quae communicant 400 circiter esse nullamque – Deo dante – esse inconfessam in Paschate; temporibus debitis Sacramentum renovari ac pro decenti associatione dum ad infirmos defertur suppellectiles opportunas extare et associantibus impartitas indulgentias publicari; lampadem die noctuque accensam manuteneri a societate sanctissimi Sacramenti, antiquitus ab anno usque – ut fertur – 1582 hic erecta quae, [liceat]<licet> redditibus careat, suppeditat tamen ex eleaemosinis confratrum et intortitia pro associando Sacramento et suppellectilia altaris, quo de ceris manutinet admodum reverendus archipresbyter. [49^v] Sacramento reposito, piaepreparationi ad sacrum faciendum vacavit et, sacerdotalibus indutus, inter iam dictas synfonias missam celebravit ac propriis manibus quamplurimis utriusque sexus christifidelibus sacram Eucharistiam paterno amore erogavit. Actis vero Deo optimo maximo debitis gratiis, stola violacei coloris munitus visitavit: locum et olea sancta ad altare maius in cornu evangelii, in vasis stamneis sub sera et clavi tute servata; sacrum fontem baptismatis, in cappellula a latere evangelii erecta positum et sub rastris tute ac bene tentum nec non

confessionalia, in ecclesia disposita pro sacramentalibus christifidelium confessionibus excipiendis; altare maius, ex marmoribus recenter constructum, cum tabernaculo item marmoreo ac portatili, manutentum ab admodum reverendo archipresbytero et societate sanctissimi Sacramenti, ut superius dictum est; nulla sunt ibi beneficia, legata aut onera missarum. Altare sanctae Crucis marmoreum cum portatili, a societate sanctae [50] Crucis, ibi erecta die 30 iunii 1690 – ab illustrissimo et reverendissimo domino domino Sebastiano Pisano tunc episcopo veronensi – archipresbytero existente admodum reverendo domino Petro Pallestrina, de omnibus manutentum. Haec ibi sunt onera missarum, scilicet: tot missae quot sunt redditus capitalis ducatorum 141.1.17 veluti a quondam nobili domina Eleonora Lafranchina, suo testamento 18 ianuarii 1691 in actis domini Iulii Bernardi notarii; officium missarum duodecim mense maii ex fructibus capitalis ducatorum 200 die 13 septembris 1693 in actis domini de Maffioletis notarii testati a quondam venerabili clerico domino Antonio Anderlini appellato Facci, onere etiam addito solemniter collendi diem sanctae Crucis 3 maii; missae tot quot correspondent fructibus capitalis ducatorum 700, a praedicta nobili domina Eleonora Lanfranchina praecitato testamento relictis, detracta tamen eleemosina sacristiae ab ipsa testatrice disposita, ut assertum fuit; quae legata ab eadem societate reguntur et adimplentur. Altare sancti Hieronymi ligneum, ferme destitutum cum portatili, de ratione nobilium dominorum de Dondoninis, quorum [50'] est onus manutenendi. Nullo modo extat officiatu, ut retulit admodum reverendus archipresbyter; caeterum olim ex legato quondam nobilis domini Ioannis Baptistae Dondonini, quod liquet ex suo testamento anni 1652 in actis domini de Ferris notarii, officiatu extabat duarum missarum in hebdomada, ex fructu camporum duodecim ecclesiae relictorum, quae bona tamen vi fideicomissi a familia evicta fuere. Retro idem altare quam plures iacent sacrae reliquiae, nullis documentis ac nominibus propter vetustatem munitae, quas in sua veneratione reliquit. Altare sancti Angeli custodis, ex marmoribus confectum cum portatili; manutenetur a societate eiusdem sancti Angeli custodis, ibi erecta et anno 1634 archiconfraternitati almae Urbis agregata, quod tamen onus manutenendi sustinet confratrum eleemosinis, cum redditibus careat. Hic a quondam reverendo domino Ioanne Blanchino, archipresbytero olim eiusdem ecclesiae, relicta fuit suo testamento officiatu missarum trium in qualibet hebdomada, capitali testato ducatorum 1000, sed capitale [51] huiusmodi pro maiori parte deperditum esse modernus archipresbyter asseruit seque, dum sibi haec ecclesia demandata fuit, reperiisse tantum eiusdem capitalis ducatos 417, ex quorum fructu tot celebrat missas quot fructui correspondent. Altare vetustum sancti Zenonis, ligneum cum portatili, de iure ecclesiae ac de omnibus ab archipresbytero manutentum. Nulla ibi sunt onera missarum, sed tantum celebratur ex devotione. Altare beatae Mariae Virginis, recenter ex marmore erectum cum portatili, ex piorum eleemosinis; manutenetur vero a societate sub eiusdem beatae Mariae Virginis et sancti Zenonis invocatione, non procul ab anno 1602 – ut fuit assertum – erecta, quae dicto manutenendi oneri satisfacit ex confratrum eleemosinis, nullis fruens redditibus ac oneri duarum missarum in quolibet anno ex capitalis fructu ducatorum 22. Nonnulla sunt officia in hac ecclesia celebranda vigore legatorum, que sunt descripta in calce reddituum eiusdem [51'] ecclesiae in policea a reverendo archipresbytero tradita et hic sub littera G reposita, cui et cetera. [A margine: Oratorium Sancti Zenonis] Subinde ascendit ad oratorium Sancti Zenonis, ad quod patet aditus in ecclesia et iacet super domum parochialem, de ratione confraternitatis sub invocatione sanctae Crucis, episcopali decreto diei 9 decembris 1720 erectae, cuius confratres induunt capas violacei coloris ibique conveniunt diebus festis officium beatae Mariae Vieginis recitaturi ac oratorium ipsum manutenent ex reddito capitalis ducatorum 300 piorumque eleemosinis. Unicum visitavit altare, ibi erectum ex ligno cum portatile ubi celebrat reverendus dominus Ioseph Zambini cappellanus diebus festis, stipe tradita ab ipsis confratribus partim ex eleemosinis et partim ex reddito dicti capitalis legati a quondam reverendo Petro Pelestrin, a huius ecclesiae archipresbitero. Visitavit sacras reliquias sanctissimae Crucis, in cruce crystallina repositam ac sigillatam et pubblico episcopalis curiae documento anno 1722 munitam, quam et thurificavit. Visitavit sacristiam contiguam, necessariis pro sacro faciendo [52] bene structam. Dictum altare est privilegiatum pro confratribus in feria quarta, cum brevi apostolico ad septennium die 5 ianuarii 1736 dato. Quibus absolutis factisque sequentibus ordinationibus, properata iam hora, ad suum episcopale palatium prandium sumpturus reversus est. Ordinata. Ostensorium reparatur eo modo et arte ne fragmenta, si quae cadant, depereant – ianua tabernaculi decenti pictura adornetur – coemeterium muniatur cruce ferrea, in singulis eius partibus errigenda – fenestrae in idem coemeterium prospicientes, cum ex eis in ipsum facilis sit descensus, muniatur ferratis – altare sancti Hieronymi debito honore manuteneatur ac provideatur antipectile, de tobaleis coeratisque necessariis ad sacrum cultum. Quibus habitis et cetera. [52'] Die dicta 17 martii 1737 a prandio. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, ut hac mane ita hodie a prandio, ad dictam parochialem ecclesiam Sancti Zenonis in Oratorio, suam prosecutus visitationem, profectus est. Reverenter exceptus ab admodum reverendo archipresbytero, clero

et confratribus doctrinae christianae, ante altare maius genuflexus sanctissimum Sacramentum adoravit et doctrinam christianam visitavit, recognoscens scilicet per varias interrogationes quomodo de necessariis aliisque ad salutem pertinentibus pueri et puellae edocti sint, quatenus frequentia, qui cultus huius sancti operis sit et sui animi laetitia invenit tam pueros quam puellas bene instructos; opus ipsum iuxta typis traditas regulas bene regi et gubernari, quod ut magis magisque imposterum colatur augeaturque, paterno amore plurimum in Domino hortatus est. Porro nonnullos utriusque sexus christifideles Crismate in fronte signatos in Christi milites roboravit. Ab ecclesia in aedes parochiales se contulit, ubi una cum eius [53] vicario generali pro tribunali sedit ac coram vocati comparuerunt: admodum reverendus dominus Hieronymus Colloti, annorum 50 circiter, iuris utriusque doctor, archipresbyter huius ecclesiae et, parens mandatis, tradidit policeas suae relationis, hic sub littera **G** repositas; praesentavit item libros parochiales baptizatorum, matrimoniorum, mortuorum ac status animarum, quos prius lustratos ac bene tentos repertos eidem restituit. Interrogatus autem respondit nihil habere de suo clero aut populo de quo indoleat, vel sit contra bonos mores. Suam hanc ecclesiam non posse <ostendere?> ullo documento aut memoria aliqua fuisse consecratam illamque obtinuisse per concursum, cum ad episcopum pertineat de illa providere, habitum die 8 augusti 1726 cum bullis vero summi pontificis Benedicti XIII diei 28 dicti; redditus autem et onera habere ut in praesentata policea, cui et cetera. Subinde reverendus dominus Ioannes Baptista Caponatus, eiusdem ecclesiae curatus aetatis annorum 30; [53^v] reverendus dominus Gaspar Giarolla, sacerdos aetatis annorum 45 circiter, confessarius; reverendus dominus Bartholomaeus Speciani, sacerdos confessarius aetatis annorum 57 circiter; reverendus dominus Dominicus Manganotti, sacerdos confessarius aetatis suae annorum 35 circiter; reverendus dominus Antonius Franceschini, simplex sacerdos aetatis suae annorum 27 circiter; reverendus dominus Ioannes Baptista Fantini, sacerdos simplex aetatis suae annorum 29 circiter; reverendus dominus Ioseph Castorius, simplex sacerdos aetatis annorum 27 circiter; venerabilis clericus Ioseph Viviani, incola sub contrata Omnium Sanctorum, in primis duobus ordinibus constitutus; venerabilis clericus Carolus Zanoni, aetatis annorum 18, tantum in habitu. Qui singuli sua obtulerunt ordinum respective et confessionum mandata, quae visa eisdem restituta fuere. [54] Sumptae fuerunt postea informationes a gravioribus et fide dignis huius contratae viris de vita, moribus et diligentia in eius fungendo munere reverendi archipresbyteri nec non sacerdotum et clericorum et recte responsum fuit tam de archipresbytero quam de clero, nec non de moribus populi. Vocata non comparuit Anna Benvenuti obstetrix sub hac paraecia, forsitan suo munere detenta sed ipsam bene instructam esse de sacramento baptismatis conferendo casu necessitatis testatus est admodum reverendus archipresbyter. Quibus habitis, ad suum episcopalem palatium se restituit. [A margine: Colombini] Die mercurii 20 martii 1732 a prandio. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus sic ut ante ad oratorium publicum sub titulo Sanctae Mariae seu Sancti Antonii vulgo *dei Colombini* iter fecit. Ad quod perventus, obsequenter exceptus fuit a reverendo archipresbytero Sancti Zenonis in Oratorio, intra limites cuius parochialis idem oratorium est erectum ac ab ipsiusmet oratorii confratribus. Illud, fuis prius ante altare maius precibus, visitavit nec non eius altaria, quae tria sunt, scilicet: [54^v] Altare maius ligneum cum portatili, ubi ex confratrum devotione quotidie celebrat reverendus pater frater Bartholomaeus a Verona ordinis minorum observantiae sancti Francisci. Altare sancti Antonii, pariter ligneum cum portatile. Altare sanctissimi Crucifixi, similiter ligneum cum portatili. Retro altare maius visitavit chorum, ubi conveniunt confratres eiusdem oratorii diebus festis, officium beatae Mariae Virginis aliasque pias preces recitaturi, quorum confraternitas agregata est archiconfraternitati sanctae Mariae a Planctu almae Urbis, cum participatione indulgentiarum, prout ex diplomate eiusdem. Vidit sacristiam contiguam et paramenta ac vasa sacra pro celebratione missae et bene provisam invenit, nec non vidit hortum adhaerentem a cornu evangelii, quem anno 1540 asseruerunt adquisitum. Hoc oratorium ab iisdem confratribus de omnibus manutenetur et erectum fuit die 24 februarii 1722. [55] Ordinata. Portatile altaris maioris tantisper elevetur et cooperiatur tela cerata – elevetur similiter parumper portatile altaris sanctissimi Crucifixi eiusque rimulae obtentur ac tela cerata cooperiatur – eodem modo elevetur portatile altaris sancti Antonii ac firmetur et tela cerata cooperiatur. Quibus habitis et cetera. [a margine Oratorium Sanctae Helisabeth Tertiariarum Sancti Francisci]. Eadem die. Absoluta visitatione praedicti oratorii Sanctae Mariae seu Sancti Antonii de Columbini, pedester se contulit ad visitandam simplicem ecclesiam seu oratorium publicum sub invocatione Sanctae Helisabeth, infra limites parochialis ecclesiae Sancti Zenonis in Oratorio, de ratione sororum tertiariarum sancti Francisci vulgo *di San Bernardino*, quae in domo contigua una simul inhabitant. Ad ianuam ipsius ecclesiae obsequenter receptus fuit ab admodum archipresbytero Sancti Zenonis in Oratorio, [55^v] cota et stola induto, aquam benedictam porigente et a nobili domino comite Leonardo Lisca, ipsarum sororum protectore. Ante altare maius genuflexus, pias preces Deo optimo maximo fudit. Subinde visitavit altaria duo ibi erecta, scilicet: altare maius lapideum, cum portatili ac tabernaculo, quod

inservit pro custodiendo Sacramento aliquo die solemniter pro communicandis sororibus. Altare beatæ Mariæ Virginis Adoloratæ cum portatili, structuræ tamen minus decentis. Vidit ostiolum a cornu epistolæ, inserviens pro communicandis sororibus. Vidit sacristiam contiguam, inservientem pro parandis sacerdotibus celebraturis sed sacrae suppellectiles domi a sororibus custodiuntur, quæ perpolite sunt tentæ. Progressus ad domum adnexam eorundem tertiariarum, dominationi suæ illustrissimæ et reverendissimæ occurrit soror ministra eiusque manus deosculata est, cum qua associatus visitavit ecclesiam interiorem seu [56] chorum, ubi conveniunt sorores officium et piæ preces recitaturæ, quibus genuflexis benedixit. Volens autem procedere ad visitationem domus earundem sororum, ipsamet soror ministra, ac reverendus pater frater vicarius harum sororum ac subinde nobilis dominus comes Leonardus Lisca, earum protector, reverenter huiusmodi domus visitationi sese opposuerunt ac contra ipsam protestarunt. Quæ oppositione ac protestatione non attentis, immo reiectis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, vestigiis prædecessorum suorum insistens, præcipue illustrissimi et reverendissimi domini domini Sebastiani Pisani, qui visitationem habuit die 25 iulii 1655 et illustrissimi et reverendissimi domini domini Ioannis Francisci Barbadici, qui visitavit die 13 decembris 1702, suam pastoralementer visitationem prosecutus est ipsamque domum omnino visitavit. Quibus habitis factisque ordinationibus infrascriptis, ad suum episcopale palatium reversus est. [56^v] Ordinata. Portatile altaris maioris firmetur ac tela cerata cooperiatur – custodia eiusdem altaris intus vestiatur panno albo sericeo – provideantur tabellæ ad usum eiusdem altaris pro diebus ferialibus – forus qui extat sub custodia omnino claudatur – altare beatæ Mariæ Virginis sit suspensum et maneat in suspensione usque dum protendatur, dilatetur ac ad decentem et canonicam formam reducatur.

[A margine del foglio 57: SANCTI IOANNIS EVANGELISTAE A BEVERARIA] Die iovis 21 martii 1737. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus Ioannes Bragadenus episcopus veronensis, comes et cetera, suam pastoralementer visitationem acturus de ecclesia Sancti Ioannis Evangelistæ, vulgo *della Beverara*, ad sanctimonialia eiusdem ecclesiæ et monasterii pro hac die opportune cum consuetis instructionibus intimatam, ad quas etiam præmissi fuerunt duo sacerdotes congregationis sancti Philippi [57] Nerii, ut eorum ope uberius visitationi fructus evadat, quadriga vectus una cum nobili et reverendissimo domino Augustino de Vico iuris utriusque doctore, præposito cathedralis et vicario monastico eiusque coereemoniarum magistro, me procancellario aliisque suis familiaribus, ad dictam ecclesiam se contulit. Obsequenter campanarum sonitu tormentisque bellicis frequenter explosis, a reverendo domino Ioanne Baptista Dorigonii confessario ordinario aliisque cappellanis, sacerdotibus et clericis exceptus fuit ac receptus sub baldachino, gestato a sex ex confratribus sacrae congregationis Cleri intrinseci, scilicet archipresbyteris ecclesiarum Sancti Zenonis in Oratorio, Sanctorum Blasii et Clementis, Sancti Ioannis in Fonte, Sanctorum Firmi et Rustici de Curte Alta, Sanctorum Faustini et Iovitæ, Sancti Michaelis ad Portas, deosculata cruce sibi a reverendo confessario ordinario pluviali induto oblata, processionaliter præcedente clero *Benedictus* et cetera decantante, ecclesiam adivit, in cuius limine ab eodem confessario thurificationis honorem recepit ac aspersionem [57^v] aqua benedicta madens, quo populum aspersit ac solemniter ecclesiam ingressus est. Ad altare maius progressus, in primis Sacramentum adoravit illudque subinde ascendit ex quo, consuetis persolutis orationibus, populo benedixit, sua episcopali indulgentia impartita. Ad thronum veniens sibi a cornu evangelii paratum, ibi in dalmaticis assistentibus admodum reverendo domino Antonio Costanzi archipresbytero Omnium Sanctorum et domino Donato Antonio Brasavola archipresbytero Sancti Laurentii, pontificalibus vioacei coloris indutus fuit et preces pro defunctis ritu a pontificali tradito absolvit. Sacris vero violacei coloris vestibus dimissis sumptisque albis, adoratione, hymno ac thurificatione præmissis, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum visitavit, quod servatur ad altare maius, in tabernaculo marmoreo ac pixide argentea intus inaurata et decore ac tute sub sera et clavi custoditum. Ante illud nocte dieque semper accensa ardet lampas [58] a sanctimonialibus manutenta, ad quas spectat, impensis monasteriis, ecclesiam totam de omnibus providere. Dum contigit illud ad infirmas moniales deferri, processionaliter debito cultu differtur et associatur. Pro qua honorifica delatione et intortitia et sacrae suppellectiles necessariæ existunt nec non dum moniales communicant, debitis temporibus, ad fenestellam. Benedictione præmissa, Sacramento reposito, ad thronum reversus est, ubi iisdem archipresbyteris assistentibus pro missa habenda piæ emisit præparationem et sacerdotalibus indutus in maiori altari inter instrumentorum musicalium modulationes sacrum fecit ac propriis manibus sanctimonialia pie ac religiose ad fenestellam eucharistico Pane cibavit actisque subinde Deo optimo maximo gratias, aliquibus utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit et, dimissis præfatis archipresbyteris assistentibus, suam visitationem cum vicario eius monastico proseguendo, visitavit tria altaria in hac ecclesia [58^v] erecta, scilicet: altare maius, ex marmoribus constructum, divo Ioanni evangelistæ dicatum cum portatili, a monialibus decore provisum, ubi ter in qualibet hebdomada celebratur missa pro legato quondam reverendi domini Ioannis

Cottoni, agris ob id relictis in pertinentia Sancti Maximi aliisque afflictibus quibus monasterium fruitur. Altare sancti Augustini, ex marmoribus pariter elaboratum cum portatili; expensis monasterii, optime tentum. Altare beatae Mariae Virginis quoque marmoreum cum portatili, ubi in arca marmorea statua eiusdem beatae Mariae Virginis custoditur, a monialibus ipsis perpolute manutentum. Vidit a cornu epistolae fenestellam a communione, recte instructam nec non rotam in ecclesiam respondentem pro sacris paramentis aliisque necessariis offerendis. Vidit sacristiam ecclesiae adnexam, scamnis nuceis constructam ac bene tentam, ubi tamen ferme nihil sacrarum suppellectilium servatur, quae in monasterio [59] custodiuntur. Vidit totam ecclesiam, quae est consecrata et dies consecrationis fuit 23 aprilis 1525; qui dies a monialibus colitur sub ritu duplici primae classis cum octava. Nonnulla extant onera missarum scilicet singulis annis. Missae octo et quatuor officia pro quondam dominis de Orighettini; missae decem die festo sancti Augustini et officium mortuorum pro quondam matre sorore Angela Tranquilini; missae 15 cum nocturno officii mortuorum pro quondam dominis de Pantinis; missae octo pro quondam domino Antonio Gianda; missae octo cum nocturno pro quondam domina Camila Francescata; missae octo pro quondam reverendo domino Francisco Perini, nuncupato Spadarino; missae quinque pro quondam dominis de Carrariis; missae quinquaginta diebus solemnibus statutis pro quondam Catharina Corradina; missae decem octo pro quondam matre sorore Helisabeth Sparavera; missa una die conversionis sancti Pauli ac psalmus *De Profundis* qualibet sexta feria pro quondam reverendo domino Iulio [59^v] Gionchi; missae 50 pro quondam matre sorore Catharina a Veritate; missa una cantata in festo Conceptionis, ex voto monasterii pro liberatione pestis, quod votum emissum fuit die 21 novembris 1529; missae una cantata die Visitationis beatae Mariae Virginis pro quondam reverendo Hieronymo Moncio; missae 30 ac officium pro animabus sanctimonialium; missae 15 pro quondam Maria sorore Laura Stella Borga; missae duae qualibet hebdomada pro nobili familia Brenzone; missa una in Commemoratione omnium defunctorum pro quondam Maria Helisabeth Viccori. Pro quibus oneribus sustinendis fruuntur moniales capitalibus enunciatis in earum relatione, in fine huius sub littera **H** reposita. Quibus habitis, ad collocutoria se contulit, ubi cum priorissa ac vicaria collocutus est et, indicta alio tempore prosecutione suae pastoralis visitationis, cum sua benedictione benigne illis dimissis, ad suum episcopale palatium reversus est. [60] Die 23 martii 1737. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus sic ut antea ad praefatum monasterium sanctimonialium Sancti Ioannis Evangelistae a Beveraria iter fecit. In primis in ecclesia a reverendo confessario ordinario, a quo de more aspensorium oblatum est coeteroque clero, obsequenter exceptus ante altare maius pias preces fudit. Deinde, una cum praefato suo vicario monastico in collucutorio ad hoc parato se recepit ubi, vocatis monialibus, illas singulariter singulas paterna charitate examinavit ac per interrogationes cognovit qualis sit charitatis cultus, quae regularum observantia atque monesticae disciplinae ac quale gubernium eiusdem monasterii, ut ea, si quae sint, quae spirituali progressui opposita essent, evellat eaque plantet, quae ad cultum Dei, ac virtutum magis conducunt. Nonnullis auditis, facta hora tarda, ad prandium summendum se suo palatio restituit, a prandio [60^v] visitationem suam prosecuturus. A prandio. Iterum ad dictum monasterium illustrissimus et reverendissimus praesul se traduxit et, incepto sanctimonialium personali examini sic ut antea vacavit. Vocatis itaque coeteris monialibus in antedicto collocutorio illisque omnibus singulariter singulis ad crates se delatis, interrogatis atque benigne auditis idem examen ac personale monialium visitationem absolvit. Subinde puellas in hoc monasterio educationis gratia receptas coram se vocavit et an de doctrina christiana edoctae sint per examen diligenter perquisivit, quas bene instructas invenit, cuius sancti operis cultum adeo animabus proficuum quam maxime in Domino comendavit. Quibus peractis, visitavit locum a confessionibus, bene instructum, collucutoria omnia eorumque rotas ac fenestras ferratis munitas ceteraque loca exteriora et muros eiusdem monasterii. [61] Aperta autem ianua monasterii, praesentes habuit sanctimoniales genuflexas capiteque velato humilime praesulem suum excipientes, quibus benedixit et surgere ac caput detegere praecepit. Secum sumptis vicario suo monastico, coeremoniarum magistro, me procancellario aliisque paucis ac tantum necessariis familiaribus, monasterium ingressus est et, clausa ianua, claves traditae fuere; reverenda priorissa associatus caeteris monialibus praeuntibus, ad ecclesiam interiorem venit seu chorum, ubi facta oratione, rotam ac oleum infirmorum decenti in loco ex marmore constructo ac in vase argenteo decore ac tute custoditum. Visitavit quoque nonnullas sacras reliquias, scilicet: brachium sancti Clementis, in reliquiario argenteo, cum patentibus illustrissimi ac reverendissimi domini Ioannis Francisci Barbadici diei 21 decembris 1704; Crux una cum vase sanguinis sancti Innocentiae martyris, in [61^v] reliquiario argenteo cum recognitione curiae episcopalis diei 12 aprilis 1716; sacras reliquias sanctorum Christi martyrum Clementis, Prudentiae, Fidelis, Prosperi, Urbani, Valentini, Fructuosae, Placidae, Amantiae et Exuperantis, simul positas in capsula inaurata tribus crystallis compacta, cum patentibus illustrissimi et reverendissimi domini Ioannis Francisci Barbadici praedicti diei 15 iunii 1705; sacras reliquias sanctorum

Christi martyrum Gaudentis, Servati, Valentini una simul in capsula inaurata tribus confecta crystallis collocatas, cum recognitione huius curiae episcopalis diei 16 decembris 1717; de ligno sanctissimae Crucis Domini nostri Iesu Christi, in reliquiario argenteo cum recognitione huius episcopalis curiae diei 16 februarii 1728; particulam sacrae vestis sancti Ioannis evangelistae, in reliquiario argenteo cum recognitione huius curiae diei 2 octobris 1725, sede vacante; particulam ex ossibus sancti Augustini episcopi, confessorii ecclesiastici, doctoris, [62] cum patentibus illustrissimi et reverendissimi domini Benedicti de Luca episcopi cenetensis diei 20 ianuarii 1726, recognitis in hac curia die 18 februarii 1726. Vidit sacras suppellectiles, de quibus abunde est provisum ac diligenti cultu manentur. Visitavit omnia loca inferiora, collocutoria scilicet ibique crates ferreas, fenestras et rotas, refectory ubi ieiunium, silentium et lectio spiritualis servatur iuxta regulas sancti Augustini, quam moniales in communione bonorum viventes profitentur; cellas vinarias, curtes, hortos, claustra ac caetera loca inferiora. Visitavit locum a confessionibus locaque superiora, chorum cratibus septum, dormitoria, cellas monialium et locum educandarum, horea, campanile coeteraque alia loca. In archivio seu loco scriptoriae vidit libros ac scripturas ad monasterium spectantes et recepit relationes in scriptis iuxta eius iussum a matre scriptorssa praestatas et in fine huius repositas sub littera H. [62^v]. His peractis factisque infrascriptis ordinationibus, cum *De Profundis* in ecclesia recitato suam clausit visitationem et ad suum episcopale palatium se restituit.

Giovanni Bragadino per la Dio grazia e della santa sede apostolica vescovo di Verona, conte et cetera, prelado domestico ed assistente et cetera. Alle dilette nel Signore le reverende madri priora, vicaria e monache del venerabile monastero di San Giovanni Evangelista della Beverara di Verona salute ed obediencia et cetera. Nel partire dalla visita di questo venerabile monastero, benché per la Dio grazia l'habbiamo trovato con somma nostra consolazione ben fornito di cristiane virtù, d'una fraterna vicendevole carità ed una esemplare comunità, pure a conservazione delle virtù medesime, a decoro e vantaggio maggiore del monastero et a gloria di Dio, stimiamo bene lasciare le presenti [63] ordinate da pontualmente eseguirsi et inviolabilmente osservarsi, cioè: primo, che le doti decretate dalle costituzioni episcopali siano realmente pagate et esborsate in danaro contante al tempo della professa da investirsi cautamente, e non sia fatta alcuna fraude o finzione, poichè in tal caso, ch'è di tanto rimarco e danno ai monasteri, passeremo a quelle pene più rigorose che a noi pareranno per rimediare a così grave disordine, che porta seco la rovina del pubblico bene dei monasteri. Dovendo esser presentati li istrumenti così di deposito, come de pagamenti delle medesime doti avanti al vestiario e professa conforme le costituzioni, al numero 31 pagina 39. Secondo, che li parlatori stiano chiusi a norma delle costituzioni, eccettuato il parlatorio comune e le chiavi di essi debbano stare presso la priora, restando proibito alle monache il ricever visite alle porte del monastero. [63^v] Terzo, che nelle ballottazioni di qualunque sorte non si dia il proprio voto in altrui mano, ma cadauna ballotti personalmente e sodisfaccia la propria coscienza e, quando vi fosse qualche monaca inferma, o vadino due delle discrete a ricevere il suo voto con le bussole consuete o si dia siggellato a chi pressiederà alla ballottazione. Quarto, osservata la quantità de residui, che restano da rascuotersi de livelli e censi in detrimento notabile del monastero, restano incaricate la madre priora e scrittora a dover fare aggire da chi s'aspetta contro li debitori, senza alcun riguardo per essigere ciò ch'è di giustizia a beneficio del monastero e delle sue quotidiane essigenze. Quinto, che non sia celebrata messa nella loro chiesa da alcun sacerdote o regolare o secolare senza licenza nostra o del vicario nostro per qualsivoglia occasione. Quanto di sopra abbiamo stabilito e decretato ordiniamo che resti con prontezza pienamente adempito [64] a divertimento d'ogni sconcerto che potesse pregiudicare alla monastica disciplina, al beneficio del monastero, et alla vostra reciproca quiete e religiosa osservanza. Datum nella pastoral mia visita 23 marzo 1737. Giovanni Vescovo di Verona.

[A margine: SANCTORUM IOSEPH ET FIDENTII] Die Dominico 31 Martii 1737. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus Joannes Bragadenus, episcopus veronensis, comes et cetera, suam pastorem visitationem pro hac die indixit sanctimonialibus venerabilis monasterii Sanctorum Joseph et Fidentii, ad quas praemisit et consuetas instructiones et sacerdotes duos congregationis sancti Philippi Nerii, missionum munere fungentes ad uberiores visitationis fructus excipiendos. Omnibus itaque paratis, idem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, una cum nobili et reverendissimo domino Augustino de Vico iuris utriusque doctore, praeposito cathedralis et suo vicario monastico hac coereemoniarum magistro, me procancellario aliisque suae familiae, quadriga vectus ad ecclesiam dictarum sanctimonialium [64^v] iter arripuit. Eius adventus honoratus fuit frequenti tormentorum bellicorum explosione ac campanarum sonitu. Eo perventus, deveneratus fuit a reverendo Iohanne Baptista Tomezzoli confessario ordinario aliisque sacerdotibus et clericis ac sub baldachino receptus, gestato a sex ex confratribus sanctae congregationis Cleri intrinseci huius civitatis Veronae, archipresbyteris scilicet

ecclesiarum Sanctorum Clementis et Blasii, Sanctae Mariae ad Fratam, Sancti Ioannis in Fonte, Sancti Michaelis ad Portas, Sancti Zenonis in Oratorio et Quintiniani suburbii Veronae; crucem a praedicto confessario ordinario pluviali induto oblatam super pulvinaribus stratis genuflessus deosculatus est, ac, processionaliter clero decantante *Benedictus*, ad ecclesiam adivit. In cuius portae maioris limine thurificationis honorem ab eodem confessario ordinario ac aspersorium recepit, quo populum aqua benedicta aspersit. Subinde ecclesiam solemniter ingressus est et, ante altare maius progressus, paulisper [65] oravit, illud ascendit et solitis antiphonis ac, orationibus persolutis, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam de suo mandato publicatam elargitus est. Ad thronum a latere evangelii sibi paratum venit, ubi eundem admodum reverendi domini archipresbyteri ecclesiarum Santi Laurentii et Omnium Sanctorum dalmaticis induti exceperunt et pontificalibus violacei coloris vestierunt; quibus indutus, exequias pro defunctis iuxta tradita pontificalis absolvit. Sumptis subinde pontificalibus albi coloris, adoratione, hymno et thurificatione praemissis, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, quod custoditur ad altare maius, in tabernaculo marmoreo ac pixide argentea intus inaurata perpolite ac tute sub sera et clavi. Illud debitis temporibus renovari; dum communicant moniales ad fenestellam et dum ad infirmas defertur, honorifice associari et ad hoc intortita ceteraque necessaria extare ex factis perquisitionibus cognovit, nec non [65^v] nocte dieque semper accensam, sumptibus monasterii, lampadem servari. Quo iterum adorato, populo benedicto ac reposito, ad thronum se restituit ibique praeparatione missae facta, sacerdotalibus paramentis indutus fuit et sacrosanctum missae sacrificium musicalibus instrumentis modulatis assistentibusque praefatis archipresbyteris peregit nec non sanctimonialibus propriis manibus sacrosanctam Eucharistiam ad fenestellam a confessario ordinario delatam administravit. Demum, Deo optimo maximo debitas egit gratias et ad collocutorium se contulit, ubi cum abbatissa et priorissa collocutus est illisque humaniter salutatis dieque 3 proximi mensis aprilis pro prosecutione suae visitationis renunciato, facta hora tarda, ad suum episcopale palatium reversus est ac prandium sumpsit. Die mercurii 3 mensis aprilis 1737. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, suam pastorem visitationem prosecuturus, ad supradictam [66] ecclesiam Sanctorum Ioseph et Fidentii – ut supra dictum est – se contulit eoque perventus, in ingressu ecclesiae aspersorio a reverendo confessario ordinario oblato aqua benedicta populum aspersit et ante altare maius genuflexus, pias preces ad Deum fudit ac missae ab eius capellano celebratae interfuit. Qua absoluta, thronum ascendit ibique, assistentibus in dalmaticis admodum reverendis archipresbyteris ecclesiarum Sancti Laurentii et Sanctae Mariae ad Fratam, pontificalibus indutus fuit et nonnullis utriusque sexus christifidelibus, modulatis interim musicalibus instrumentis, Confirmationis sacramentum ministravit. Porro, rochetto et stola violacei coloris indutus, visitavit ecclesiam, quae est a sanctimonialibus honorifice manutenta atque est consecrata, quod constat, et tribus componitur altaribus, quae visitavit, scilicet: altare maius, marmoribus eleganter constructum cum portatili et effigie beatae Mariae Virginis in tela depicta celebris picturae, marmoribus circum ornata. Altare sancti Ioseph, marmoreum cum portatili, debito cultu [66^v] a sanctimonialibus manutentum ubi, ex legato quondam domini Ioannis Baptistae Bernesconi, in qualibet hebdomada missae tres celebrantur, modo a reverendo domino Ioanne dal Gaio, praeter missas singulis diebus festis. Altare sancti Francisci, ex marmoribus quoque aedificatum cum portatili. A latere epistolae visitavit ostiolum a communione, ex marmoribus compactum et optime tentum. Visitavit sacristiam, in qua tamen paramenta non servantur, sed in monasterio ibique vidit rotam et fenestras duas, ferratis munitas. Visitavit quoque locum existentem in calce ecclesiae a cornu epistolae, ubi pariter et rotam et unam inspexit fenestram, ferratis munitam. Tandem visitavit locum sacramentalibus confessionibus deputatum, ad quem per duas scalas ascenditur, quem aptum cognovit. In hac vero ecclesia, quae – ut dixi – est consecrata et dies consecrationis fuit 15 iunii 1602, sed singulis [67] annis huiusmodi consecrationis dies collitur debito cultu die dominicae tertiae post Pentecostes; extant aliquot missarum onera, videlicet: missae duae defunctorum pro quondam nobili Laurentio Rinaldi quolibet mense; alia missa item defunctorum quolibet mense pro quondam reverendo domino Antonio Malabarba, ut ex eius testamento 6 octobris 1630 in actis domini Ioannis Francisci Cettura notarii; missae duodecim quolibet anno pro quondam domino Maffeo Lorenzoni, ex eius testamento diei 7 iulii 1639 in actis domini Petri de Polis notarii; missae duae defunctorum quolibet anno pro quondam domino Hieronymo Montagna. His peractis, una cum suo vicario monastico, se recepit in collocutorio superiori prope locum a confessionibus, ubi coram se vocavit sanctimoniales easque singulariter singulas paterno amore examinavit de monastica disciplina, de regulae observantia ac de regimine et gubernio monasterii. Cum vero hora facta [67^v] esset tarda, visitationem hanc in aliud tempus prorogavit et ad prandium suo episcopali palatio se restituit. Die iovis 4 aprilis 1742. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus sic ut supra ad praefatum monasterium Sanctorum Ioseph et Fidentii iterum e contulit. Prius in ecclesia ante altare maius

pias preces fudit, aspersione in ingressu ecclesiae premissa ut supra dictum est. Deinde cum suo vicario monastico ad praenotatum collocutorium venit, ubi reliquas sanctimoniales coram se vocatas singulariter singulas, ut antea, interrogavit ac benigne audivit et personalem sanctimonialium suam visitationem absolvit. Iam vero hora ad meridiem et ultra properata, ad suum episcopale palatium reversus est prandium sumpturus et a prandio suam hanc pastorem visitationem confecturus. A prandio eiusdem diei 4 aprilis 1737. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus praedictus denuo ut ante [68] ad monasterium Sanctorum Ioseph et Fidentii restitutus in ecclesia, ante cuius ingressum populum aqua benedicta – ut iam dictum superius est – aspersit. Ad altare maius genuflexus, paulisper oravit, dehinc visitavit collucutoria omnia externa eorumque fenestras, ferratas et rotas, domum contiguam, quam invenit usui et habitationi gastaldionis eiusdem monasterii; vidit muros exteriores sepientes dictum monasterium caeteraque exteriora ad illud spectantia. Porro ad ianuam monasterii genuflexas, capiteque velatas habuit sanctimoniales, dominationem suam illustrissimam et reverendissimam humillime excipientes, quibus benedixit et mandavit surgere ac caput detegere. Associatus a reverenda matre abbatissa, secum sumptis vicario suo monastico, caeremoniarum magistro, me procancellario aliisque paucissimis, clausa ianua, eidemque traditis clavibus ad ecclesiam interiorem perexit, ubi oravit et visitavit ostiolum a communione, decenter constructum; oleum infirmorum, in arcua marmorea bene tentum; [68^v] nonnullas sacras reliquias, videlicet sancti Hilarii martyris, in reliquiario rotundo cum instrumento episcopali 7 augusti 1702; sancti Ioseph, in theca argentea, cum recognitione curiae episcopalis 23 maii 1731; sancti Petri apostoli, in reliquiario argenteo cum instrumento episcopali 29 iulii 1712; sanctae Innocentiae martyris, in capsula lignea cum instrumento episcopali 14 octobris 1712; sanctorum Bonifacii, Benedicti et Benigni martyrum, in capsula collocatas cum recognitione curiae episcopalis 12 martii 1678. Visitavit sacra suppelectilia ibi exposita ac vasa sacra coeteraque necessaria pro sacris functionibus atque ad ornatum opportuna, de quibus omnibus abunde provisum est et omnia perpolite sunt tenta. Visitavit collocutoria interiora, curtes, claustra, hortos, cellas vinarias caeteraque loca inferiora, praecipue refectorium ubi lectio, ieiunium et silentium servantur. Ascendens ad loca superiora, visitavit confessarium, [69] dormitoria, cellas monialium, orea, campanile, caeteraque loca. Tandem vidit archivium ibique libros et scripturas ad idem monasterium pertinentes. Scriptorissa vero, iussibus suae illustrissimae et reverendissimae dominationis parendo, praesentavit policeas in fine huius repositas sub littera I. Facta autem perquisitione de educandis, quomodo sint edoctae de doctrina cristiana illasque bene instructas cognoscens, suam pastorem visitationem infrascriptis statutis ordinationibus in ecclesia cum *De Profundis* clausit et ad suum episcopale palatium reversus est.

Giovanni Bragadino per la Dio grazia e della santa sede apostolica vescovo di Verona, conte et cetera, della santità di nostro signor papa Clemente XII prelado domestico ed assistente et cetera. Alle dilette nel Signore le reverende madre abbadessa e monache del venerabile monasterio dei Santi Giuseppe e Fidenzio di Verona salute ed obbedienza. [69^v] Esigge il nostro pastoral zelo che a quelle cose attendiamo che inservir possono al decoro maggiore di questo monasterio, al suo spirituale e temporale vantaggio, ad una santa, religiosa concordia et a maggior gloria di Dio; perciò, coll'occasione della pastoral nostra visita, in cui con molto nostro piacere abbiamo vedute le buone virtù che in esse sono piantate, stimiamo necessario ed opportuno lasciare le presenti ordinate da prontamente eseguirsi et inviolabilmente osservarsi, cioè. Inerentemente alle ordinate fatte li 6 novembre 1703 da monsignor illustrissimo e reverendissimo Barbarigo siano otturate con muro la fenestella e ruota del camarino esistente in fine della chiesa dalla parte destra della porta maggiore nell'entrare. Non si tengano colombi, uccelli o altri animali che recar possano disturbo ed incommodo, a norme delle costituzioni. Sia del tutto proibito alle monache il far impasti o sia brazadelle per la Pasqua o in altri tempi per li secolari [70] o per qual si sia altra persona. Le grade de parlatori si muniscano di seradure e chiavi e stiano le chiavi in mano della reverenda madre abbadessa, alla quale si ricorra nel bisogno di farne uso. In oltre che le doti decretate dalle costituzioni episcopali siano realmente pagate et esborsate in danaro contante al tempo della professa, da investirsi cautamente e non sia fatta alcuna fraude o finzione poichè in tal caso, che è di tanto rimarco e danno ai monasteri, passeremo a quelle pene più rigorose che a noi pareranno per rimediare a così grave disordine, che porta seco la rovina del pubblico bene dei monasteri, dovendo esser presentati l'istrumenti così di deposito come dei pagamenti delle medesime doti avanti il vestiario e professe conforme alle costituzioni numero 31 pagina 39. Che li parlatori stiano chiusi a norma delle costituzioni, eccettuato il parlatorio commune e le chiavi di essi debbano stare presso la madre abbadessa; restando pure proibito [70^v] alle monache ricever visite alle porte del monastero. Che nelle ballottazioni di qualunque sorte non si dia il proprio voto in altrui mano, ma cadauna balloti personalmente e sodisfaccia la propria coscienza e, quando vi fosse qualche monaca inferma, o vadino due delle discrete a ricevere il suo voto con le bussole consuete o si dia sigillato a chi pressiederà alla ballottazione. Osservata la

quantità de residui che restano da rascuotersi de livelli e censi, in detrimento notabile del monastero, restino incaricate la madre abbadessa e scrittora a dover far agire da chi s'aspetta contro li debitori, senza alcun riguardo per essigere ciò che è di giustizia a beneficio del monasterio per le sue quotidiane esigenze. Che non sia celebrata messa nella loro chiesa da alcun sacerdote o regolare o secolare senza licenza nostra o del vicario nostro per qual si voglia occasione. Quanto di sopra abbiamo stabilito e decretato ordiniamo che resti con prontezza pienamente adempito, a [71] divertimento d'ogni sconcerto che potesse pregiudicare alla monastica disciplina, al beneficio del monasterio e alla vostra reciproca quiete e religiosa osservanza. Dato nella pastoral nostra visita 4 aprile 1737. Giovanni vescovo di Verona.

[A margine: SANCTI SILVESTRI] Die dominico 12 mensis Maii 1737 – Cum ecclesia Sancti Silvestri huius civitatis Veronae et sit sanctimonialium et sit apud ipsas cum cura animarum, quam ab ipsis ellectus et ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo approbatus sacerdos exercet, consuetis praemissis edictis ac instructionibus nec non praemissis duobus reverendis patribus ordinis sancti Francisci strictioris observantiae, ad parochialem ecclesiam et duobus sacerdotibus congregationis sancti Filippi Nerii ad sanctimonialibus qui, missionis munere fungentes, animos ad digne visitationis donum excipiendum parent, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus Ioannes Bragadenus, Dei et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus veronensis, comes et cetera, suam pastoraalem visitationem praefatae ecclesiae et sanctimonialibus pro hac die indixit et in primis [71^v] ad dictam ecclesiam quoad parochiale munus visitandam, secum sumptis nobili et reverendo domino Ioanne Petro comite Porta, archidiacono cathedralis iuris utriusque doctore et vicario suo generali, coereemoniarum magistro, me procancellario et aliis familiaribus suis, quadriga vectus, iter direxit. Eius adventus et tormentorum bellicorum explosione et campanarum sonitu honoratus fuit. Obsequenter vero exceptus a reverendo domino Christophoro Maggi, qui curati seu parochi munere fungitur et clero nec non sub baldchino, a ex confratribus sacrae congregationis Cleri intrinseci Veronae gestato, ab admodum scilicet reverendis archipresbyteris ecclesiarum Sancti Laurentii, Sanctae Mariae ad Fratam, Sanctorum Faustini et Iovitae, Sanctorum Firmi et Rustici de Curte Alta, Sancti Ioannis in Fonte et Sancti Michaelis ad Portas, in stratis pulvimaribus genuflexus, oblatam sibi crucem a reverendo domino Christophoro Maggi praedicto, pluviali induto, deosculatus est et processionaliter, praecedente clero *Benedictus* et cetera decantante, ecclesiam adivit. In cuius ingressus musicis instrumentis modulatis [72] a praefato reverendo Maggi et thurificationis honorem et aspersionum accepit, quo populo aqua benedicta aspersit ac solemniter ecclesiam ipsam ingressus est. Ante altare maius paulisper oravit illudque ascendit et, antiphonis et orationibus consuetis recitatis, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam de suo mandato publicatam elargitus est. Subinde ad thronum sibi a latere evangelii paratum venit ubi, assistentibus in dalmaticis admodum reverendis dominis archipresbyteris ecclesiarum Omnium Sanctorum et Sancti Salvatoris ad Frignanum, pontificalibus violacei coloris indutus fuit ac exequias pro defunctis iuxta tradita pontificalis prius in ecclesia deinde in coemeterio, adhaerenti a cornu evangelii, absolvit. Violaceis verop ontificalibus exutis sumptisque indumentis albi coloris, cum debita adoratione, thurificatione hymnoque decantato, sanctissimum Eucharistiae sacramentum visitavit, quod ad altare maius in tabernaculo marmoreo ac pixide argentea intus auro linita sub sera et [72^v] clavi tute ac decenter custoditur. Factisque perquisitionibus a reverendo domino Christophoro Maggi praesente et cota ac stola induto adstante, utpote qui huius ecclesiae demandatam a sanctimonialibus curam exercet, cognovit animas eucharistiam summentes sub hac cura 1200 numerari, in totum vero ad numerum 1588 circiter ascendere nullamque paschali tempore inconfessam – Deo dante – reperiri; communicatis in Paschate schedas distribui ac subinde colligi; debito cultu ac honore sanctissimum Eucharistiae sacramentum ad infirmos deferri sacraque ad id necessaria suppellectilia decenter parata extare nec non errectam haberi sanctissimi Sacramenti societatem; demum et indulgentias associantibus concessas publicari et consueta signa ad excitandum et convocandum populum, si id tempus ferat, dari debitisque temporibus Sacramentum renovari. Lampas die nocteque semper accensa ac cerae pro altari [73] maiori sumptibus monasterii a sanctimonialibus manutinentur. Iterum praemissis adoratione, hymno et thurificatione, populo benedixit ac, reposito sanctissimo Sacramento in antedicto tabernaculo, ad thronum venit ubi piam pro sacro faciendo praeparationem emisit et, sacerdotalibus indutus, praefatis archipresbyteris in dalmaticis assistentibus, inter musicalium instrumentorum sinfonias ac bellicorum instrumentorum explosiones missam celebravit, qua absoluta, nonnullis utriusque sexus christifidelibus propriis manibus eucharisticum Panem ministravit. Quibus expletis actisque Deo optimo maximo gratiis, visitationi suae incumbens visitavit: olea sancta, in loculo ad hoc ex marmore parato a cornu epistolae perpolite tenta ac tute sub sera et clavi custodita. Fontem baptismatis, in marmore incisum a cornu epistolae ferme in calce ecclesiae erectum, bene instructum rastrisque ferreis septum ac sub sera tute custoditum. [73^v] Quatuor visitavit confessionalia, in ecclesia

disposita pro excipiendis sacramentalibus confessionibus. Visitavit altare marmoribus constructum, portatili ac icone munitum optimeque a sanctimonialibus manutentum. Altare Visitationis sanctae Helisabeth, a latere evangelii item ex marmoribus erectum, de iure eiusdem ecclesiae cum portatili, ab ipsis sanctimonialibus de omnibus provisum. Retro illud extat usus campanilis pro cura parochiali, sine tamen ulla communicatione in monasterium. Altare sancti Belini, similiter ex marmoribus compactum cum portatili et icone, sumptibus sanctimonialium decenter ornatum. Altare sancti Rochi, ligneum cum portatili et icone, a societate sancti Rochi ibi – ut fertur – erecta de omnibus manutentum, in quo singulis diebus festivis missa celebratur. Altare sancti Benedicti, ex marmoribus elaboratum cum portatili, de iure ecclesiae, a sanctimonialibus de omnibus provisum, ubi ex obligatione fit sacrum semel quolibet mense. Altare sanctae Ursulae, quoque marmoreum cum portatili, quod ad [74] ipsas sanctimoniales pertinet et ipsarum est onus illud manutenendi. Altare sanctae Crucis, ex marmoribus edificatum cum portatili cui, licet inhaereat stema familiae de Fanchis, iuris tamen est ipsarum santimonialium, a quibus de omnibus providetur et manutentur. Onera missarum leguntur in relatione reverendi curati, sub littera **L**. Visitavit sacristiam, ipsi ecclesiae a cornu epistolae adhaerentem, in qua tamen sacra suppellectilia non custodiuntur sed in monasterio. In summitate ianuae ipsius sacristiae sculpta legitur haec inscriptio seu hoc monitum, scilicet *Templum hoc / aetatis iniuria labefactatum / monialium expensis reparatum est / et in ornatiorem formam redactum / anno MDCCXIX / quo / et a sacris virginibus / [74^v] ex invecta contratae vexatione / ob intentatam parochialis curati electionem / pleno serenissimi principis patrocinate collegio / vetustissima iura confirmata sunt*. Vidit totam ecclesiam, organo et duabus cantoriis instructam et alias consecratam – ut fertur – die prima iunii 1343, sed consecrationis dies colitur in festo secundo Pentecostes. Quae tamen consecratio an adhuc perduret potius est quaerendum quam decidendum, cum, licet paulatim iam labefactata maiori tam forsitan in parte reparata est et nobiliorem in formam restitutam, ut suprascripta testatur inscriptio. Visitavit coemeterium, ecclesiae a latere evangelii adhaerens, muris septum et bene tentum. Cum haec egerit, ad suum episcopale palatium se restituit, prandium sumpturus. A prandio eiusdem diei 12 maii 1737. Ad praefatam parochialem ecclesiam Sancti Silvestri illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, una cum suo vicario generali, [75] iterum se contulit; obsequenter receptus fuit a praedicto reverendo curato, clero et confratribus doctrinae christianae et, facta aspersione aquae benedictae, aspersorio recepto a reverendo curato cota et stola induto, in ingressu ecclesiae ante altare maius genuflexus, pias Deo preces fudit. Postmodum paterne ac diligenter doctrinam christianam visitavit et quomodo regatur, quisnam sit ordo, quae diligentia, quae frequentia perquisivit nec non utriusque sexus christifidelibus, per consueta signa convocatis – puellae enim in hac ecclesia et pueri in ecclesia Sancti Antonii abbatis, de ratione huius monasterii, docentur – an bene eruditi (de necessariis ad aeternam salutem caeterisque quae in doctrina christiana traduntur) sint per examen et plurimas interrogationes expertus est omniaque, cum animi sui laetitia, laudabiliter procedere invenit. Quapropter ad magis magisque hoc sanctum opus excolendum plurimum ac enixe in Domino hortatus est. Pontificalibus indutus, memoratis admodum reverendis archipresbyteris ecclesiarum [75^v] Omnium Sanctorum et Sancti Salvatoris ad Frignanum in dalmaticis assistentibus, Confirmationis sacramentum ministravit pluresque utriusque sexus christifideles in Christi milites roboravit. Subinde se – cum suo vicario generali – recepit in cubiculo in calce ecclesiae a latere evangelii existens et, coram ipso pro tribunale sedente, vocati comparuerunt reverendus dominus Cristophorus Maggi, aetatis suae annorum 60 circiter, ad hanc animarum curam deputatus ab anno usque 1718 cum bullis episcopalibus, seu eiusdem curiae patentibus litteris diei 19 septembris 1718, quas ostendit ac praesentavit libros parochiales baptizatorum, matrimoniorum, mortuorum ac status animarum, qui visitati, cum bene digesti reperti sint, eidem restituti fuerunt. Nec non, parendo et cetera, praesentavit policeas iuxta aedictum et cetera, repositas sub littera **L**. Interrogatus vero de clero et populo, nihil fassus est – Deo dante – habere de quo indoleat et dimissus fuit. Reverendus dominus Franciscus Orlandi, sacerdos confessarius aetatis annorum [76] 56 huius parochiae; reverendus dominus Dominicus Capobianco, sacerdos huius parochiae, pariter confessarius aetatis suae annorum 84; reverendus dominus Caietanus Bernardi, sacerdos confessarius aetatis annorum 82; reverendus dominus Petrus Piantavigna, simplex sacerdos aetatis suae annorum 40; reverendus dominus Bernardus Bernardini, sacerdos confessarius aetatis annorum 52; reverendus dominus Dominicus Perfranceschi, simplex sacerdos aetatis annorum 75; reverendus dominus Ioannes Maria Mariotti, simplex sacerdos aetatis suae annorum 43; reverendus dominus Franciscus Capobianco, sacerdos confessarius aetatis annorum 68; reverendus dominus Aldimirus Levo, simplex sacerdos aetatis annorum 33; reverendus dominus Carolus Balleno nuncupatus Peroni, mantuanus sed sub hac parochia cum suis dimissorialibus die 16 octobris 1707, sine praescriptione temporis concessis, degens [76^v] sacerdos aetatis suae annorum 57; reverendus dominus Ignatius Filippi, simplex sacerdos aetatis suae annorum 27; reverendus dominus Franciscus ab Occa, simplex

